DE PETRONII
SERMONE PLEBEJO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMI

PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

PUBLICE DEFENDET AUCTOR

ERNESTUS LUDWIG
SAXO-BORUSSUS.

MARBURGI
TYPIS EXPRESSIT JOANNES AUGUSTUS KOCH.
MDCCCLXIX.

PRAECEPTORI SUO SUMME VENERANDO

LEOPOLDO SCHMIDT

PHILOS. DR., PHILOL. P. P. O.

HASCE STUDIORUM PHILOLOGORUM PRIMITIAS GRATI
ANIMI TESTIMONIUM VULT ESSE

AUCTOR.

De genere dicendi, quo Petronius usus est, quid esset judicandum magna ex parte jam Studerus in disputatione, quam scripsit de aetate Petronii (mus. Rhen. n. II p. 72 sqq.) et Beckius in commentatione, cujus index est: »the age of Petronius Arbiter« acri animo exquisitaque doctrina disseruerunt. Sed tamen nobis in animo est, iterum illam de sermone Petroniano quaestionem pertractare, quum illi viri docti neque de pronuntiatione neque de vocum compositione neque de quibusdam rebus syntacticis quidquam attulerint. Accedit etiam, quod illi nonnulla omnino cognoscere non potuerunt, qui Petronii textu, quem vocant, usi sunt non satis correcto: nostrae tandem aetati F. Buechelerus editionem reddidit emendatiorem. Hae sunt caussae, quibus moti denuo disputatiorem de Petronii sermone vulgari instituimus. Qua in re nos apparet de rustica tantum loquendi consuetudine esse acturos, qua Trimalchio, Damas, Seleucus, Phileros, Ganymedes, Niceros, Plocamus aliique Trimalchionis conliberti utuntur. Ipse autem Encolpius, qui in enarrandis fatis quum alias res tum illud triclinium describit sermonesque eorum affert, qui illi interfuerunt, urbane loquitur. Quamquam nonnullis locis Petronius hunc quoque qui elegantia orationis imbutus est, dictionibus plebejis jocose facit utentem, quas non minus quam libertorum ac servorum vitia censeo esse afferendas. Eumolpi vero dicendi ratio omnino abhorret a disputatione nostra; is enim non modo sordidum sermonem non adhibet, sed etiam generi nimis elato indulget. Cf. Bernhard. hist. litt. latt. pp. 612, 613 (ed. IV). Totius igitur

quaestionis, quae habetur de sermone plebejo, qualis pernoscendus sit ex Petronii fragmentis, fons reperitur praecipuus in verbis libertorum ac servorum, quos supra enumeravi.

Jam quibus auxiliis opus sit, ut aliquam pronuntiandi, flectendi, componendi rationem, quam apud Petronium legimus, demonstremus esse rusticam, omitto exponere, quia de fontibus, e quibus grammatice sermonis plebeji esset haurienda, jam Schuchardtius in egregio libro, qui inscribitur »Vocalismus des Vulgärlateins«, satis disputavit. vide tom. I, p. 11 seqq. Cf. etiam, quae Roenschius in libri hoc anno editi, cui index est »Itala und Vulgata«, pp. 15—20 affert. Praeterea vide Bernhardyi hist. litt. R. pp. 339—343 (ed. IV) adnotatt. 240 et 242, et Baehrii hist. litt. R. I, p. 19 sqq. (ed IV). — Sed jam ad rem propositam transeamus! Atque, ut in exponendo Petronii sermone plebejo ratione ac via procedat disputatio, hanc statim apparet fieri divisionem quadripertitam, ut primum dicatur de pronuntiatione verborum, deinde de flexione, tum de compositione; postremo de usu syntactico.

I. De pronuntiatione.

a) De pronuntiatione vocalium.

1. a.

Nonnunquam *o* pro *a* vulgari ratione enuntiatur, atque maxime si consonans labialis *a* vocalem sequitur, vid. Schuch I, p 169, III 88. Cf. Dolobella Grut 499, 7 aliisque locis; canova, canovum, canopus, pro canava, canavum, canabus scriptorr. med. aev. — colophus gloss. Labb.; colobus l. Sal.; colophizare, Cangii thesaur. lat. med. aev. Quibus exemplis a Schuchardtio congestis adjecerim aliud, quod inveni in lexico vetere ed. ab A. Maio cl. auctt. VIII p. 52: hoc est: »alopus, qui propter mercedem alapas patitur«. Itemque »alopus« in alio glossario legitur (cl. auctt. VI, p. 506). Ex hoc genere est Petronii verbum *percolopabant* c. 44.

2. e.

α. a pro e (η). Ii, qui sermone plebejo utuntur, quum Graeca vocabula, maximeque nomina propria recipiant, in quibus *η* litera est, pro ea saepe *a* loquuntur, ad quam pronuntiationem multum Dorica loquendi proprietas videtur valuisse. cf. Epictatianae Mur. 990, 6. Philamatio Mur. 1538, 11. Tabaide ibid. 1456, 4. Damaratus, Philodamus. etc. cf. Schuch. I, 221. His adde exemplum Petronianum *Athana* c. 58, quod puto ex rusticitate Campaniae, quae terra moribus ac lingua Graecorum imbuta erat, originem repetiisse.

β. ι pro e. Romani quum Graeca verba, in quibus *ei* diphthongus vocali subsequente erat, mutuarentur, modo per *i* modo per *e* illud *ei* pronuntiaverunt, ut usu solum statueretur, quibus in verbis *e* et in quibus *i* audiretur. A quo usu plebs saepe ita recessit, ut enuntiationem urbanitati contrariam licenter adhiberet. cf. Dioclia Grut. 1140, 5. Epius Plaut. Bacch. 937. Timoclia Bramb. C. J. Rh. 499; adde codd. Vergil. scripturas hasce: Epios Aen. II 264, cc. Palat. et Bernenss. duo. — Panopiae Georg. I, 437 cod. Medic. — Pentesilia Aen. I, 491. c. Rom. — Plias Georg IV, 233 cc. Med. et Gudian. — Sperchius Georg. II, 487 c. Rom., vide Ribbeckii prolegg. ad. Verg. p. 427, et Schuch. I, 243; III, 115. Eandem rationem Petronius imitatus c. 29 *Odyssian* formam scripsit, quam miror Schuchardtium fugisse; sed bene cum nostro exemplo aliud ab illo allatum ex cod. Flor. Digest. XXXII, I, 65, §. 4 comparari potest, quo loco »Odussia« legitur.

Atque *e* literam positione productam in acriorem *i* vocalis sonum transire Schuchardtius ingenti exemplorum copia t. I, pp. 329—374 satis superque demonstravit; non igitur quibusdam Petronii locis cum editoribus ejusmodi formas, quas ex mea sententia non sine caussa Arbiter sermoni libertorum inseruit, deleverim neque bonorum scriptorum dicendi rationem receperim. Ac c. 50 Trimalchio secundum cod Tragur. usurpat vocem *muscillanea,* pro qua non bene urbanam formam editores

scripserunt; rustica enim illa enuntiatio decet hominem stultissimum, qui Hannibalem Ilio capto, quum aurum et argentum incendio facto commiscuisset, aes *Corintheum* narrat invenisse. Eandem autem licet loquendi consuetudinem observare in hisce verbis: Brixillanorum Orell. 3734. Felicilla Grut 809, 4 — puilla Steiner. C. I. D. et Rh. 3793 etc.; alia de hoc usu Schuchardtius I 355 sqq. contulit. Deinde juvabit ea inspicere, quae Mommsenius C. J. L. p. 39 de formis »Duellius« et »Duillius« disseruit, qui priorem scripturam Ciceroni et Quintiliano vindicat. — Praeterea affero Petronii verbum *exinterandi,* quod scriptores urbani generis *exenterare* pronuntiant. Ac bis Trimalchio hoc vocabulum usurpat c. 49 (p. 56, 12 et p. 57, 2); tertio autem loco (p. 56, 14) manifestum est coqui enuntiationem perscriptam esse, quam Encolpius deinde (p. 56, 22) imitatus est Quae forma, quam etiam Buechelerus recepit, multis exemplis firmatur, cf. Valintiani. Or. Heuz 6664. — Frumintis Fast. Praenest. Apr. 25. Fruminto I. N. 24, 64 — dysinteria c. Fuld. act. ap. 28, 8; dysintericis. c. Bob. Gargil. 393, 11; desintericis Salmas. Pseudoapulej. 268, 17; 285, 11; 290, 22. Atque in gloss. antiquiss. sec. IX ab Hildebrando edit. p. 130, verbum »eviscerat« explicatur verbo synonymo »exinterat«. Cf. Schuch. I 351, III 132. Maxime autem *e* litera, si brevis erat, in sermone vulgari tanquam *i* sonuit, quae vocalis propter tenuem naturam proxime ab illa abest. Itaque existimo c. 39 cod. Traguriani scripturam *genisim,* quae etiam in margine apposita est *[genesim]* (i above e), non esse respuendam, quum ex nonnullis exemplis appareat, verba graeca „γένεσις, νέμεσις" alia tanquam „genisis nemisis etc". a plebe pronuntiata esse. cf. genisi Reines. VI 5. Nemisis I. N. 6582. Arcisilaus Bold. 442, 2. Tirisias Censor. Darmst. 88, 2, vid. Schuch. I, 416.

3. i.

α. e pro ι. Romanos jam antiquissimis temporibus saepe *e* pro *i* pronuntiavisse ex inscriptionibus reliquisque priscae

latinitatis monumentis est satis notum. cf. en, navebos col. rostr., optemi C. I. L. 38, hec fuet, dedet. etc. 32; semul Plaut. cf. Ritschel, prolegg. Trin. p. 93. — Quod *e* in rusticitate semper mansit. cf speca, vea, vella Varr. d. r. r. 1, 48, 2; 1, 2, 14. menester I. N. 6308, 23, menus 1291 etc., vid. Huebneri ind. C. I. L., Ribbeckii prolegg. Verg. pp. 416—418, Monii miss. p. 45, ac denique Schuch. II, p. 1 sqq. — Atque apud Petronium haec repperimus exempla: *senape* c. 66; qua forma Plautus quoque utitur Pseud. 817, cf. praeterea Italorum »senapa«, Hisp. »xenabe«, Frg. »sénevé«.

Jamque mihi afferendi sunt Petronii quinque loci, quibus *Corintheus* pro *Corinthius* vulgari consuetudine enuntiatur; cf. *Corinthea* c. 50, p. 57, 10; 12; 15; 19. *Corintheum* ibid. p. 57, 13. Sic Trimalchio loquitur sed in Encolpii narratione ibid. p. 57, 8 *Corinthia* legitur. Ac priorem scripturam etiam Isidorus origg. 16, 20, 4 -+- servavit, qui illum locum exscripsit: deinde formam »Corintheos« Schuchardtius II, p. 38 ex cod. Amiat. N. T. attulit. adde: Deadumeno Grut. 636, 11. Teroneae C. J. L. 1307; foleum I. N. 2517 etc. Gravissimo autem argumento illa praecepta sunt, quae in append. Prob. (p. 198 K) leguntur, quo loco, quum formae »aleum, doleum, laneo, lileum, osteum etc.« repudientur, eae vero comprobentur, quae in *-ium* desinunt, non dubium est, quin illae in sermone plebejo valde floruerint. vid. Schuch. II 37—43 et Corss. I, 301.

Sed alia sunt Petronii exempla, in quibus subrustica enuntiatione *e* pro *i* auditur. Ac c. 59. *Ephigeniam* legimus sec. cod. Trag., cujus scripturam cave ne cum Buechelero mutes; nam per e scriptum hoc nomen Schuchardtius affert ex. Fabrett. VIII, 37. Et ipse inveni formam *Ephigenia* in schol. vet. Juvenal. XII 117, p. 352, edit. Jahn. Quid Trimalchione, qui Helenam narrat ab *Agamenone* esse raptam, dignius inveniri potest, quam plebeja ista enuntiatio? Ergo hoc quoque loco Tragurianam lectionem restituo. — Itemque c. 64 bis (p. 76, 5 et 9) formam *deverbia* arbitror esse servandam, quae non

solum repetita eadem scriptura firmatur, sed etiam auctoritate thesauri antiquissimi a Maio editi (cl. auctt. VIIl), quem ille »a grammatico in veterum classicorum lectione valde versato« confectum esse censet. Illo enim in glossario (p. 177) haec inveni verba: »deverbium, canticum, quod ante mortuum canitur«. Adamaverunt autem in rustica consuetudine *de-* pro *di-* loqui, cf. grammaticorum praecepta haec: »diluculum non deluculum« Jnc. de orthogr. 2783 P.; dimidium non demidium App. Prob. 198, 26 K.; alia exempla vide ap. Schuch. II, p. 71 et III p. 192, quibus non dubito Petronii *deverbium* adjicere. Neque minus ob caussam supra expositam Trimalchionis verbum *depundiarius* c. 74, quod in H. codice extat, quamquam Buechelerus *dipondiarius* scripsit, mihi comprobandum videtur. At quispiam vulgarem formam illius vocis esse *dupunduarius* dixerit, quum c. 58 *dupundii, dupunduarius, dupondii* liber Frag. praebeat! Sed in rustica enuntiatione illud *i* deflectebant in utramque partem: cf. pontufex C. I. L. 474, 620, 1122, 1458, et ponteficem Grut. 835, 8 — duplomum Mur. 564, 1, et deplumator ap. Cangium. — dupondium Arc. 1, Grom. 167, 11 et depundio Gud. Grom. 167 etc., cf Schuch. II 218 sqq. Non igitur est, cur Petronii formam *depundiarius,* etsi aliis locis *dupunduarius* etc. dicitur, repudiemus, praesertim quum haec sit e verbis Trimalchionis, illa alii liberto propria.

β. u pro i. *u* vocalis, quae in prisca latinitate ante labiales *b, p, f, m* audiebatur, aetate optimorum scriptorum tanquam *i* pronuntiata est; sed in sermone plebejo, quippe qui plerumque antiqui est tenax, prior sonus servatus est, quam rationem Cicero rusticam esse dixit. Antiquitatis exempla vid. ap. Huebner. ind. C. I. L.; ex thesauro rustico pauca tantum quasi delibabo: casubus Stein. C. I. D. et Rh. 1679; subi ibid. 1881; dissupatos I. N. 5713; duplomum Mur. 564, 1 etc., v. Schuch. II 218 sqq. Huc igitur referimus Petronii *bubliothecas* c. 48, quam lectionem Kellerus probante Buechelero ex cod. Trag. scriptura *b.ibliothecas* cognoscere sibi videbatur. — Adde

dupundii c. 58, *dupunduarius* ibid., *dupondii* ibid. — Jam vero *m* litera sequente auditur *u* vocalis pro *i* in hisce verbis: *decuma* c. 37; *paratissumus* c. 31; *ipsumam [meam]* c. 69, quam vocem egregie Buechelerus ex libri manuscripti lectione »ipsum ammeam« restituit. cf adnot. ejus. ad c. 62 p. 74.

Atque pro suffixo *-icul* in sermone quotidiano *-ucul* pronuntiare solebant, quae ratio, quum valde usitata esset, etiam in linguas Romanenses transiit cf. Diez. gr. II 302. — Paucis, si placet, exemplis illam loquendi consuetudinem explicemus: cf. genuculum l. Sal. tit. 44, p. 25 ed. Merc.; pannucula Fest. p. 220, Ital. pannochia, — peduculus gloss. ap. Cang. s. h. v. et ap. Dieffenbachium p. 420; alia exempla v. ap. Schuch. II p. 228 sqq. III p. 239. Jamque vocem *peduclum* modo memoratam Petronius c. 57 usurpat, deinde *ossucula* c. 65.

Aliud denique exemplum restat, in quo *u* pro *i* videtur enuntiatum esse: dico Traguriani lectionem *muscillanea* c. 50. Ei enim, qui *bubliotheca, Ephigenia, Corintheus* etc. rustice loquitur, non dubito illud *muscillanea* tribuere, quum litera *i* subsequente lit. *s.* tanquam *u* vulgari ratione pronuntiata sit. cf. Brundusium; busomum inscr. Ross. I 79; dusomum Mur. 1902, 6; musera ibid. 1751, v. Schuch. II 236. Atque Mommsenius C. I. L. 685 adnotat genetivum antiquum III^{ae} declinationis in *us* retentum esse in rustica lingua vel Caesariana aetate. cf. Caesarus C. I. L. 685. Venerus l. N. 4227; inspice Corssenii quoque libri I p. 240.

γ. de syncope i vocalis.

Breviter de syncope *i* vocalis agamus, quae, si ante *-do* suffixum posita est, quum et pinguitudine et ictu careat, nonnunquam in sermone plebejo ejicitur. Atque in app. Prob. pp. 198 et 199 praecipitur, ut »frigida, calida, viridis« dicatur pro »fricda, calda, virdis«, qua rustica pronuntiatione Romanenses quoque utuntur, cf. It. »freddo, caldo etc.«. v. Corss. II 22; Schuch. II 415. Quam enuntiandi rationem Petronius imitatus usurpavit has formas: *calda* c. 41, *caldam* 65; 68, *caldum*

67, *caldicerebrius* 45. Et vox *matus* c. 41 eadem ratione ex ampliore forma »madidus« exorta est; prior autem forma invenitur quum apud scriptores medii aevi, tum apud Italos (cf. „matto") v. Cangium s. h. v.

δ. de epenthesi i vocalis vid. quae pp. 12, 13, 16, de pronuntiatione consonantium compositarum *(scr. rc. bl. mn)* dicemus.

4. o.

o vocalis, ubi *nt* vel *nd* compositiosecuta est in rusticitate tanquam *u* sonabat: v. Schuch. II 116 et Corss. I 262; cf. frunte I. N. 4671. Fruntoni Grut. 413, 4. Muntanus ibid. 892, 11; punderibus censor. Darmst. 25, 4; dupundii Lucil. Fest. p. 298; dupundio c. Flor. Dig. XXVIII, V, 18; dupundium Arc. Grom. 167, 11; dipundii Bob. Gorg. 413, 12; depundio c. Amiat. Luc. 12, 6 etc. Itaque formam *dupundium* esse rusticam nemo est, qui non concedat, ut non satis possim mirari, quare Buechelerus cod. Traguriani lectionem tribus locis repetitam rejecerit, qui c. 74 *depundiarius*, c. 58, *dupundii* et *dupunduarius* praebet. Nam iterata hac scriptura vix persuaderi mihi potest, errore librarii illas formas in textum irrepsisse, quae libertorum eruditioni optime conveniunt.

5. u.

α. o pro u.

Etiam in *u* vocali enuntianda plebs priscae latinitatis consuetudinem amplexa est, quum et antiquissima literarum aetate *o* pro *u* diceretur, et in sermone rustico posteriorum seculorum illa pronuntiandi ratio valeret. cf.:

conctos C. I. L. 28;
cosentiont ibid. 32;
pocolom ibid. 43, 44;
etc. cf. Huebn. ind. gr. p. 608.

concta cod. Pal. Aen. 3, 398;
requiescont Garucc. mon. del. Mus. Lat. p. 51;
tomolom Le Blant. inscr. Chr. 461;
etc. v. Schuch. II 149, III 213 et Ribb. prolegg. Verg. p. 437.

Nunc autem videamus, quid Petronius ex hoc genere scripserit. Ac primum offendimus in adverbiis *hoc illoc* c. 39; eaedem formae inveniuntur Plaut. Capt. 477, Merc. 871; I. N. 3804 etc. — *istoc* Petr. c. 57; cf. Plaut. Truc. 4, 2, 6; — *ampolla* cc. 48. 78; sic enim priore loco in libro Trag. legitur, itemque fere altero, qui »appollam« formam praebet. — Deinde sequente *v* litera voc. *o* pro *u* audita est in forma *plovebat* c. 44, cf. perplovere Fest. p. 251 et Ital. piovere; adde: floviom C. I. L. 199, 6, 7. Joventio ibid. 199, 17 povero Garucci. gr. Pomp. p. 78 etc.

β. de syncope u voc.

Adamabant in sermone vulgari *u* literam, quae inter *cl, gl, pl, bl, fl* erat, propter levem ejus naturam ejicere. Neque ea in re desunt testimonia priscae latinitatis, quum poetae comici, qui proxime ad plebis loquendi consuetudinem accedunt, haud raro exempla ejusmodi praebeant; cf. poplus, circlus, periclum, gubernaclum, poclum etc. vid. Corss. II, pp 6—9.

Quantopere vero plebs posteriore tempore illam consuetudinem conservaverit, cognoscimus ex praeceptis, quae in app. Prob. leguntur; namque repudiantur hae formae: speclum, masclus, vernaclus, articlus, baclus etc. Permulta ejus generis exempla, maxime ex inscriptionibus desumpta, Schuchardtius II, p. 403 sqq. congessit, quae item atque illa praecepta nobis persuadent, plerumque inter *cl* et *bl* consonantes illud *u* per syncopen excidisse. Romanenses autem suffixum *-culo* in *-clo* mutaverunt, unde Italorum terminationes *-chio, -glio*. Hisp. *-jo* etc. factae sunt. Atque in nonnullis Petronii verbis hanc loquendi rationem observavimus; cf. *peduclum* c. 57, *ridiclus* c. 57, *oclopeta* c. 35, *bublum* c. 44, *offla* cc. 56, 58.

γ. de elisione u voc.

Elisionis exemplum Petronius praebet unum, quod est in c. 46. Illo enim loco Heinsius, Burmannus, Buechelerus secundum librum manuscriptum *cardelis* vocem scribunt, quae est rustica forma nominis *carduelis;* nam levis *u* vocalis propter

ictum, quo sequens *e* litera est affecta, plane eliditur, vid. Corss. II, 131. Eadem autem illius vocabuli forma in glossariis pervetustis invenitur, cf. cardelle gloss. Sangallens.; cardelis gloss. Cyrill.; praeterea cf. Clentius I. N. 5326. Febrarius etc. v. Schuch. II 468. Ac Cassiodorus p. 2300 P. vulgum »battalia« pro »battualia« dixisse auctor est. Postremo autem Romanenses, ut hiatum tollerent, compositionis *ua, ue* etc. saepe *u* vocalem eliserunt; cf. battualia: It. battaglia, Hisp. batalla etc. Quae consuetudo quin ex plebejo Romanorum sermone fluxerit, non dubium est v. Diez. gr. I p. 174.

6. au.

α. o pro au. Romanos primis reipublicae seculis *o* pro *au* dixisse, ut alia sexcenta exempla omittamus (cf. Huebn. ind. gram. C. I.), optime cognoscimus ex illo verborum ac soni ludo, qui inest versui Caecil. Stat. huic (39 ed. Ribb.): „Quum suum sibi alius socius socium sauciat«. Cf. Corss. II 63, Schuch. II 301. Atque etiam literis Romanorum florentibus illa dicendi ratio in sermone quotidiano valde usitata fuit. cf. Suetonii (Vesp. c. 22) narratiunculam, qui Vespasianum dicit »plostra« pro »plaustra« locutum esse. Jamque apud Petronium haec rusticitatis exempla deprehendimus: *lota* c. 30, *clostellum* 140, *copo* 39, 61, 62, *coda* 44, *oricularius* (ex Reines. et. Heins. conject.) 43.

β. u pro au. In lingua rustica multo rarius *u* quam *o* pro *au* enuntiabant, quae altera ratio inde exorta est, quod primo quidem *o* loquebantur, sed deinde illam vocalem in *u* mutabant. Cf. elutum Plaut. Trin. 406, inlutus c. Medic. Georg. III 443, quae formae ex »elotum« et »inlotum« natae sunt. praeterea cf. luros c. Medic. Aen. III 360, loretum, laurus; posia scriptorr. r. r., pusia Isid. origg. XVII, VII, 66, pausia; plustrum Laur. Oros. 330, 13, plostrum, plaustrum; Plautius, Plotius, Plutius I. N. cf. Schuch. II 304 sqq. III 263. Cujus generis hoc tantum extat Petronii exemplum: *cluso* abl. part. pass. c. 63; quod verbum eadem ratione scriptum saepissime in vetustis codicibus legitur.

b) De consonantium pronuntiatione.

1. p vel ph.

Romanos constat in principio vocis duplicem mutam non adhibuisse, quippe quae literarum compositio linguae latinae erat nimis molesta. Neque igitur Graeca verba, quorum in initio *phth* vel *pt* literae erant, in sermonem plebejum receptae sunt, quin altera muta ejiceretur; cf. Tolomaidi I. N. 3395, Tolomea Fabrett. IX 438, Tholomeo Mur. 1276, 3; Ital. Tolommeo, Hisp. Tolomeo, vid. Diezii gr. I 258; Thiotidem c. Vind. Liv. 41, 6. — tisana Bob. Pelagon. fol. 40, 18, tissana Isid. origg. XX 21, tesana Gloss. Tiron. ed. Grut. p. 112 etc.; cf. Dieffenb. gloss. s. h. v., Schuch. I p. 144., Ribbeck. annall. philoll. 93 p. 3 sqq. Quae quum ita sint, equidem non dubito cum Ribekkio (annall. phill. 93 p. 244) Petron. c. 64 lectionem *tisicus* vel *thisicus* restituere, puod verbum ex »ptisicus« vel »phthisicus« exortum est; nam primum Plocamus, qui hac forma utitur, vulgari dicendi consuetudini inserviens est, tum vero scriptura »thisicus» haud raro in plebejis literis nobis occurrit: vide permultos locos apud Dieffenbach. s. vv. „thisicus, tisicare, thisis"; equidem praeterea scripturam »thisis« inveni Juvenal XIII 95 in libris ab Jahnio litt p, b, s insignitis. Accedit, quod Italorum Hispaniensiumque »tisico« formae »tisicus« favet.

2. s.

Terminationem *osus*, quae, quum *onsus* genuina forma sit, nonnunquam in monumentis antiquissimae latinitatis per duplicem *s* literam scribitur, etiam in sermone plebejo illa ratione pronuntiaverunt; cf. imperiossus act. tr. Capit. 414, verucossus ibid. 521; vid. Buechel. Mus. Rh. XII p. 132. — anossam, lapidossa, sinuossa, undossi librr. Vergil., vid. Ribb. prolegg. p. 445. Bene igitur Buechelerus Petronii libertis formas *dignitossus* c. 57 et *succossus* c. 38, quae lectiones sunt in cod. Traguriano, vindicavit.

3. l.

l liquida omnino quidem bene cum mutis coalescit, attamen rustica negligentia nonnunquam fit, ut mutae liquidaeque compositio irrepente levi vocali dirimatur, cf. discipulina Plaut. Mostell. 154 (ex Fleckeiseni optima conjectura): tempuli I. N 2475; pilus c. Vindob. Liv. 42, 8; filamen Grut. 227, 6; geloriam Grut. 1056, 2; trichilinio Orell. 4517; trichilium Fabrett. 6, 59; cf. Buechel. M. Rh. XII, p. 639. — triculinia Ribb. annall. phill. 77 p. 197; vid. Schuch. II p. 433. Adjunxerim Petronii *sciribilita* cc. 35, 66 bis, quod nomen ter hoc modo scriptum in H. codice legitur.

4. r.

In rusticitate persaepe fit, ut lit. *r* subsequente *s* propter affinitatem genuinam (cf. honor, honos etc.) sibilanti accommodetur, nisi omnino eliditur, cf. prosum, rusum, susum; prossum, russum; Sassina, dossennus. Ac Velius Longus (p. 2237 P.) de hac re »sic et dossum« inquit »per duo *s* quam per *r* dorsum quidam ut levius enuntiaverunt«; cf. Ritschelium in M. Rh. VIII, p. 156 (opuscc. phil. II, 544, 545); — russus, haussere, haessit Ribbekkius in codd Medic., Palat., Gudian., Beruenss. II et III observavit, vid. prolegg. p. 445; deinde Hygin. fab. 108 Tessander pro Thersander inveni. Atque Romanenses eandem rationem secuti sunt: cf. Ital. dosso, ritroso, suso; Hisp. coso (cursus), oso (ursus); Lusit avesso, travesso, Frg. dos, dessus etc., v. Diez. gr. I, p. 210. Proprium igitur plebis ea in re cognoscimus loquendi modum, quem a majoribus illa antiquitus acceptum servavit servatumque posteris tradidit, quum urbana pronuntiandi ratio periret. Sed jam videamus, quid Petronius per imitationem rusticitatis ex illo dicendi genere finxerit. Ac profecto utramque et elisionis et assimilationis rationem ille videtur adhibuisse, quum c. 77 *susum* H. codex praebeat, et c. 87 cod. Scaligeri Leidensis *russus* vocem priore manu scriptam, quae lectio deinde in *rursus* mutata est. Haec de hac re: nunc aliam consuetudinem explicabimus, quae in enuntiatione

r literae plebi est propria. Constat enim eam liquidam cum muta aliqua in principio vocis conjunctam quum Romanis omnino permolestam fuisse, tum iis, qui sermone rustico utebantur. Qua de re Corssenius I 92: »Für die lautliche Natur des r«, inquit, »ist es noch von Bedeutung, dass es mit anlautenden muten sich nicht verträgt. In Folge dieser Abneigung zieht es sich von diesen Lauten gern hinter einen Vocal zurück«; cf. corcodilus pro crocodilus; tarpezita pro trapez., Tharsymachus p. Thras.; vid. Ritsch. M. Rh. VII, p. 565, VIII, 150, IX, 478, 480 (opuscc. phil. II, 461; 472, 536—41). Quin in rusticitate saepissime epenthesi vocalis molestissimam quamque consonantium compositionem reddiderunt levissimam; cf. ea, quae Schuchardtius II 394 — 435 de frequentissimo epenthesis in rusticitate usu attulit. Pauca tantum exempla delibabo: cf. geracilis Ann. arch. Constantinop. (1862); 120, 166, — ceretio c. Veron. Gai 97, 14; cribrum non ciribrum Placid. gloss. III 440; sciriptum cod. Vindob. Liv. 44, 5; sciribtum c. Vatic. Verr. 428, 8 etc. Ex hoc genere Petronianum quoque vocabulum *sciribilita* est, quod ter hoc modo scriptum legitur pro *scriblita* c. 35; 66 bis, — quos locos Schuchardtius nescio qua de caussa omisit. Firmatur autem illa H. codicis scriptura ejusdem verbi simili forma »scerblita«, quae extat in not. Tiron. p. 176. Atque si literam *r* sequebatur muta in rustico sermone, vocalis epenthesin adhibuerunt, qua faciliorem efficerent loquenti compositionem harum consonantium. Namque si nimis *r* liquida producitur, id quod ex natura literae facile fieri potest, maxime in negligenti plebis sermone, etiam invito levis vocalis excidit inter pronuntiandam liquidam et sequentem mutam, cf. urebem pro urbem c. Vindob. Liv. 42, 63; aritis pro artis c. Flor. Dig. 82, 1 ed. Momms.; aryx pro arx c. Vind. Liv. 45, 2 etc. v. Schuch. II 413. Petronius autem hoc exemplum usurpavit: *coricillum* pro *corcillum* c. 75. Ac plane me cum Klussmanno consentire confiteor in restituendo loco adhuc valde perturbato (cf. Philologi XX pp. 179, 180), quum bene ille Petron. c. 48:

Traguriensis lectionem deperditam *poricino*, quae explicari nequit, mutaverit in *carcino* vel potius, ratione formarum Plautinarum »cucinus, lycinus« habita, *caricino*, quod verbum est Graecorum *κάρκινος*.

Jam vero ipsa *r* litera propter liquidam naturam in sermone plebejo nonnunquam post *t* et *p* consonantes auditur, si in syllaba antecedente vel etiam sequente jam altera *r* litera est. Atque Ritschelius (cf. M. Rh. VII p. 555 sqq. et quae in ejusd. opuscc. phil. II p. 416 adjecta sunt) vocem »pistrinum« dicit in Plauti cod. B. »pristrinum« Pseud. 1, 5, 78; 84; 85; 4, 5, 9 scriptam esse; ita quoque Lucil. Non. p. 217. Ille igitur »pristrinam« scripturam mavult Plauto vindicare; cf. praeterea: crustri cod. Pal. Aen. 8, 115; frustra codd. F. M. R. Aen. I 412, pristris c. Aen. 5, 151, proprior proprius (pro propior etc.) Palatinus et Gudian. Vergil. semper excepto versu 218 libr. XII, tronitru R. 5, 694, cf. Ribb. prolegg. p. 443 Quibus exemplis adde Schuchardtii copiam I pp. 20, 21 et III p. 5, cf. Euphratre I. N. 2667, Marcrinus Orell. 4983, Artermisius ibid. 719, 4; — frustum, non frustrum esse dicendum docetur app. Prob. 199, 3 K. etc.*). Ex qua exemplorum frequentia apparet illud *r* interpositum non fortuito per lapsum calami extitisse, sed in plebeja dicendi consuetudine collocatum esse. Ac quum apud Petronium nonnunquam offenderim in vocibus, quae *r* literam praebent eadem ratione insertam, mihi videor in hac scriptura vulgarem pronuntiandi rationem agnoscere libertorum, quos Arbiter loquentes facit, cf. *frustrum* c. 66, c. 35, *frustra* c. 59, *credriae* c. 38**).

---

*) Eandem equidem enuntiandi rationem in nonnullis patriae rusticitatis vocibus observavi cf. *rustrig* pro russig; *rostrig* pro rostig; *brandrig* pro *brandig*. Inveni hanc elocutionis consuetudinem in ea parte Saxo-Borussiae, quae est inter Albim et silvam Hercyniam.

**) Sic enim levissima mutatione H. codicis lectionem „credrae" bene emendari arbitror, quae emendatio loci sententiae est aptissima, quum „credriae" dicatur pro „cedriae", quod verbum Munkerus suspicatus est;

In iis, quae modo attuli, exemplis *r* alterum effecit, ut eadem liquida etiam in proxima syllaba audiretur, sed inveniuntur, quae caussa supra allata explicari nequeant; verum tamen caveamus, ne ea pro falsis scripturis habeamus; nam quum unius vocis deprehendamus saepius eandem vitiosam formam, confitendam est, alteram altera fulciri, cf. propina Isidor. etym. 15, 42; propine Ross. inscr. I 1055; culcitrum et culcitra persaepe in glossariis pervetustis Dieffenbachius observavit, cujus thesaurum inspice s. h. v. Accedit denique usus linguarum Romanensium, cf. fronda (funda) tronare, anatra, balestra, alia Italorum, v. Diez. I 323; adde: estrella (stella) Hisp. sequentre, soentre etc. Provinc, v. Diez. I 358 et 392.

Atque apud Petronium idem conviva, qui *credriae* pronuntiat pro *cedriae* c. 38, etiam *culcitra* loquitur pro *culcita* c. 38, de qua forma jam supra dictum est. Restituo autem illam H. codicis lectionem, quum satis certa argumenta exemplis allatis inesse videantur. Mallem huc etiam aliam Traguriani scripturam afferre: dico formam *pittratia* c. 34, quippe quae vox in margine illo modo scripta repetitur *(pittracia)*. Extat quidem in eodem codice (c. 56) lectio *pittacia*, sed quum aut hoc aut illo loco librarius erraverit, quem facilius literam omisisse quam inseruisse verisimile est, placet nobis prior forma, quae in margine iterum per *r* scripta est.

5. mn.

Iis, qui sermone plebejo utebantur, molestissima erat compositio *mn* literarum, quam omni modo tollebant, sive quod vocalem levem interponebant, sive *p* labialem, qua *m* lit. firmaretur, sive quod aut *m* aut *n* ejiciebant, sive denique quod lit. *m* in *n* mutabant. Quum autem cujusque modi exempla Petronius praebeat, singula genera accuratius pertractabimus.

---

i literam autem post lit. *r* in hoc verbo librarius omisit, id quod magna negligentia in aliis quoque vocibus peccavit, cf. repositorum c. 33, aretinum c. 35, maleicorum c. 47.

Atque epenthesin vocalis jam antiquissima aetate adhibuerunt in nominibus a Graecis acceptis, cf. mina et *μνᾶ;* Hyminis et Ὕμνις C. I. 982, v. Ritschel. M. Rh. x. 450 sqq. opuscc. phil. II 481 sqq. — gyminasticus Naev. v. M. Rh. XII 100; opuscc. II 483. Agamemino M. Rh. XII, 111 opuscc. II 497. Clytaeminaestra M. Rh. XII 110. Quibus exemplis adde Schuchardtii (II 419) haec: ominibus I. N. 682; omines Or. Henz. 6085; Menester I. N. 6308 etc. Itaque Buechelerus probabiliter Petron. c. 41 lectionem *staminatas* restituit, quum hanc judicaret plebeja esse enuntiatione positam pro *stamnatas* quod verbum originem duxisset a Graeca voce *σταμνός*. — *p*. vero labialem inseruerunt (ut ad alteram rationem transeamus), qua propter ipsius duram naturam pronuntiationem efficerent acriorem, ut illud *m* non evanesceret, sed propinqua labiali amplificatum elisioni vel assimilationi resisteret. cf. antempnas, dampnum etc., vid. Ritschel. prolegg. Trinum. p. 102; tempnere c. Gudian. Vergil. Aen. 6, 620; alumpna-, -atus, columpna, dampnizare, ympnus, insompnis, scampnale, solempnizare etc. gloss. Dieffenb. Sed finem faciamus exemplorum, quae facile augere possis: ex iis, quae modo enumeravimus, satis intelligitur, plebem solitam esse *mpn* pro *mn* pronuntiare. Conservandas igitur censeo libri manuscripti lectiones *(a) erumpnosi* Petron. c. 39; et *(a) erumpnas* c. 48, quas editores repudiaverunt. Nam praeter rationem supra demonstratam accedit primum, quod iterata est haec scriptura, deinde, quod utraque forma est Trimalchionis. Idem enim *Agamenon* pro *Agamemnon* loquitur c. 48, de qua re vid. quae p. 18, disputabimus, idem *Neptunno* pro *Neptunus* dicit (cf. p. 18, dissertat.), idem denique omnes convivas longe superat rusticitate enuntiationis, flexionis, compositionis. Neque hoc plane omittendum esse puto, quod glossaria vetustissima illius vocis easdem ac Tragurianus scripturas praebent: cf. aerumpnosus cl. auctt. Maii. VIII p 198, aerumpna, -are, -atus ibid. p. 193; vid. Dieffenbachii quoque thesaur. s. h. vv. —

Tertia ratio, qua usi in sermone rustico *mn* compositionem evitaverunt, fuit elisionis, ut aut *m* lit, aut *n* non audiretur. Qua in disputatione iterum atque iterum Ritschelius laudandus est, qui in excurss. Plaut. (M. Rh. XII, 111 sqq. opusc. II, 497, 498) literam *n* ejectam observavit in scriptura »Clytemestra«, quae apud Attium, Livium poetam, Ausonium invenitur. Adjecit Ribbekkius (ann. phil. 77, p. 195) »Hypermestra« Prop. 5, 63. Equidem hujus formae pauca exempla inveni, quae rationem ab illis viris doctis initam valde firmant, quaeque, quum adhuc omnino pauca modo extent, statim adjiciam; cf. Hypermestra Hygin. ff. 70, 168; adde: solemis Palat. Verg. Georg. III, 22. Tolumius Rom. Aen. XII, 460 v. Ribb. prolegg. p. 435. Huc igitur refero Petronii *lamellula*, quae forma pro *lamnellula* c. 57 usurpata est; cf. etiam *lamella* pro *lamnella* apud Dieffenb.

Restat, ut pauca de assimilatione alterius liquidae disseramus, quae enuntiandi ratio sine dubio fuit omnium longe frequentissima, quippe quae linguae est facillima. Atque, ut prius genus omittamus, quod in Petronio locum non habet (cf. sommo Volummia etc.) jam antiquissimis temporibus *m* literam sequenti *n* assimilatam esse Corssenius in libri, qui inscribitur »Kritische Beiträge z. lat. Formenlehre«, p. 316 probavit, qui »annus« nomen ex forma »amnus« derivavit, quique in libro de vocalismo etc. (II, p. 210), Plautum nonnunquam vocem »omnis« correpta priore syllaba usurpasse demonstravit; cf. omnis Rud. 87, omnes ibid. 1285, Mil. 55, omni Trin. 621. Namque ille: »Die Consonantenfolge *mn*«, inquit, »assimilierte sich im Volksmunde zu *nn*, das zeigt die Schreibweise solennis für solemnis und die aus damnare, columna, alumnus, omnis entstandenen italienischen Formen dannare, colonna, alunno, ogni«. Subjungamus nonulla exempla ex ea literarum aetate repetita, qua rusticitas floruit: danna Fleetω 459, 1; indenis cod. Veron. Gai 118, 12, vid. Schuch. I, p. 147; de linguarum autem Romanensium ratione cf. Diez. gr. I, 202.

Sed ut ad Petronium redeamus, cod. H tam saepe literam *n* (= *nn*) pro *mn* compositione praebet, ut hanc sermoni plebejo propriam dicendi rationem non cum Buechelero rejecerim. Ac primum quidem ille lectionem *Agamenon* respuit, quae in cod. Trag. quattuordecies scripta est; cf. c. 3, 26, 28, 46, 48, quater, 49, 50, 52, 59, 65, 69, 78. Plerumque quidem hoc nomen legitur in verbis Encolpii, sed haud raro illum videmus non inconsulto plebis consuetudinem secutum esse, quamquam ipsius genus dicendi urbanius est quam eorum, qui in convivio intersunt. Neque solum H. cod. scripturam *Agamenon* affert, sed etiam codex Leidensis Vossianus (F) hisce locis: cc. 3, 6; cf. de hac re Wehlii dissertat. p. 22. — Deinde liber manuscriptus c. 57 praebet formam *lāna*, in quo verbo Buechelerus recte intellexit vocem l a m n a latere; sed injuria hanc formam textui inseruit, quum Petronium verisimile sit vulgarem enuntiationem adhibuisse, quae in codice legitur. Est enim haec vox liberti alicujus, qui quum alioquin sermone valde rustico utitur, tum ejusdem verbi forma deminutiva *lamellula* c. 57. Atque idem eandem dictionem repetit c. 58, quo loco iterum in Traguriano est forma *lāna*; quum autem accusativus desideretur, manifestum est in archetypo illam lineolam, quae scripturae inest, non priori sed alteri *a* superscriptam fuisse, ut sit *lanā* pro *lanam*. Ac similiter Veget. III, 4, 7 et II, 55, 7 libri »lana« praebent, quam lectionem Morgagnius in ep. ad Jul. Pontedram (p. 1240 scriptt. rust. ed. Gessner.) in »lamna« mutavit, quum ea vox ex sententia posceretur. Sed vix illis locis conjectura opus est, si illud »lana« pronuntiatum esse pro »lamna« accipimus.

Aliud autem apud Petronium assimilationis exemplum mihi videtur in forma *Neptunno* c. 76 inesse. Quum enim Buechelerus illo loco, ut studeat plebis consuetudini, »Neptuno« conjiciat esse vulgarem nominativi formam collatis nominibus »Incubo, Talasio« aliis, etiam magis ad rusticum genus accedemus, si Traguriani formam *Neptunno* per duplicem literam *n* scriptam

conservaverimus, quia genuina ejus nominis forma est »Neptumnus«; cf. Neptumnus et Neptumnalia Grut. 460, 3.

II. De flexione.

a) De declinatione.

1. *Quae voces metaplasmo affectae sint.*

Primae declinationi generique feminino nonnunquam neutra III[ae] declinationis in *a* desinentia adjunguntur, cujus mutationis caussam inde repetimus, quod similes sunt terminationes, cf. diademam Pompon. 163; dogmam Laber. 17; syrma (abl.), Afran. 64 etc., v. Neue I, 335. Ac Petronius his utitur vocibus: *schemas* c. 44, *stigmam* cc. 45, 69. Ob eandem caussam etiam neutra pluralis nonnunquam singulari numero ac generi feminino adjecta sunt, quam rationem Schmilinskyus jam formae Plautinae »ramenta« (Rud. 1016, Bacch. 513) inesse cognovit. praeterea cf. caementa, ae C. I. L. 577, 2, 21; impendia, ae Grut. 1077, 6. retia, ae cdd. Italae Mt. 4, 18, 20, Mc. 1, 16, 19, Luc. 5, 4—6. Diezius autem »membras, pecoras, pratas (acc. pl.)«, ex gloss. vetustis contulit in edit. gloss. Cassel. p. 38 ad vocem »membras«. Neque abest illa consuetudo a linguis Romanensibus cf. gaudia, Ital. gioja, Fr. joie etc. vid.: Diez. gr. II, p. 21. Ex hoc genere est Trimalchionis verbum *triclinia* c. 71. Studerus quidem (M. Rh. II, 77) et Roenschius (p. 435) hanc formam volunt esse pluralem, ad quam verbum »faciatur« Graecorum dicendi ratione referatur, sed graecismus ejusmodi vix apud latinos scriptores invenitur. Multa Roenschius exempla ex vetustissimis scripturae sacrae translationibus attulit, sed perspicuum est, auctoritate libri sacri factum esse, ut is, qui illum in sermonem latinum vertebat, nimia verecundia graecam imaginem sequeretur. Progrediamur igitur! Atque e quotidiano usu forma *phaecasiae* c. 67 videtur esse, quae quum exorta sit e Graecorum *φαικάσιον*, in urbano sermone neutrius est generis, quod Schefferus nostro loco probavit. Adde *rapam* c. 66 (cf.

rapina Caton. r. r. 5, 8; Orell. inscr. n. 2270), *intestinas meas* c. 76. — Jam alia ex parte Petronius pauca quoque nomina, quae boni scriptores secundam I[am] declinationem flectunt, alteri tribuit; sunt haec: *statuncula* pro *statunculas* c. 50; *margaritum* pro *margarita* c. 63, *quisquilia* pro *quisquiliae* 75. Ac »statunculum« generis neutrius verbum Donatus agnoscit p. 1747 P., quod etiam Tertullianus et Cyprianus adhibent, quodque in med. aevi latinitate Cangius auctor est inveniri, ut sine dubio ea forma sermoni vulgari vindicanda sit Et »margaritum« vulgarem esse formam mihi persuadetur exemplis eorum scriptorum, qui rustica dicendi ratione utuntur, cf. Vitruv. 8, 3, 19. Tertull. Mart. 4. Hieron. ad. Laet. c. 7 etc. »Quisquilium« denique formam plebejam esse duobus vetustissimis glossariis mihi comprobari videtur vid. Dieffenb. s. h. v. —

E tertia vero declinatione in secundam haec transierunt nomina: *vasus* c. 57 *vasum* c. 51. pro *vas;* formam amplificatam a plebe adamatam esse Plautus (Truc. I 1, 33. 34), Cato (cfr. Gell. 13, 23), Vitruvius (8, 1, 4) auctores sunt. cf. praeterea It. Hisp. »vaso«. — Sequatur Petronii forma *pauperorum* c. 46. Atque eandem Buechelerus formam affert ex inscriptione IV seculi, quae corporis Henzeniani est 7355[a]., et Roenschius (p. 275) ex Ital codd. Regin. et Suec. Tob. 2, 3. Hic quoque »paupera« fem. sing., quae forma etiam Plauti est, (vid. Neue II, 8) ex od. Cantabr. Luc. 21, 3., ex cc. Clar. et Germ. 1 Cor. 15, 10 adjecit. Equidem ejusdem formationis pauca afferam exempla, quae offendi. Atque Isidorum, qui in etymolog. append. III 33 (t. III ed. Areval.) explicat »mulier pauper, non paupera« nemo negabit alteram formam vituperare quasi vulgarem. Deinde adject. »pauperus« in vetere thesauro a Maio edito extat cl. auctt. VIII p. 457. p. 475. Neque Italorum »povero« a »pauper, — peris«, sed ab altera forma »pauperus i«, profectum est. v. Diez, I p. 22. —

Nunc veniamus ad ea Petronii vocabula, quae ex quarta declinatione in secundam transierunt, dico: *gusti* p. *gustus* c. 76.

cornum p. *cornu* c. 39. Ea declinandi ratio et antiquissimis linguae latinae temporibus et inde ab seculo p. C. quarto frequentissima est, ut in rusticitate semper usitata fuisse videatur. Cum voce »gusti« cf. Plauti »adventi, quaesti, senati, sumpti tumulti etc.«, vid. Neue I, 362. et Buecheleri »Grundriss d. lat. Declination« p 31 extr.; ac rusticitatis usum posterioris aetatis bene Roenschius pp. 260, 261 Italae exemplis illustravit — Jam cum forma »cornum« cf. »verum, gelum, testum etc.«, v. Neue I, 354—61.

Restant duo vocabula, quae ex IIª declinatione im IIIam sunt translata: *Incubo* pro *Incubus* c. 38, et *Neptunno* pro *Neptunus* c. 76. Ac vocem »Neptuno« etiam Buechelerus, »Incubo et Talasio« nominibus comparatis, conjecit esse vulgarem formam nominis »Neptunus«: nos H. codicis lectionem duplici *n* litera scriptam recepimus, cf. diss. p. 18.

2. *Quae voces per anomaliam flectantur.*

Nominativo *stips* pro *stipes* Phileros utitur Petron. c. 43; plebs enim falso »trabs, urbs« aliorumque nominum rationem sequitur. Eandem formam Dieffenbachius affert; Roenschius (p. 263) haec ex Italae codicibus exempla adjecit: »nubs« pro »nubes«. Mt. 17, 5, Mc. 9, 7, Lc. 9, 34, codd. Cant. Verc. Veron.; act. 1, 9, cc. Land. et Cant.

Cui generi contraria est forma nominat. *bovis* pro *bos* Petr. c. 62, quae hoc uno loco invenitur; sed non desunt ejusdem rationis exempla in rusticitate, cf. »trabis« p. »trabs« Mt. 7, 4; Ital. cc. Verc. Veron. Brix. Fuld. Rehd.; v. Roensch p. 263. — Sequitur nominat. forma *Jovis* Petron. c. 47, 58. Ea autem quum apud scriptores priorum urbis seculorum legitur tum in sermone rustico posteriorum temporum frequentissima est; cf. Enn. ann. 64, Caecil. 37, Hygin. ff. 31, 53, 54 etc., cf. Neue I, p. 189.

Deinde *lacte* formam, quae pro *lac* Petr. c. 38 usurpatur, apud antiquissimos scriptores saepe legi Charisius et Nonius

auctores sunt. cf. Ritsch. M. Rh. VII, 606 sqq., opuscc. phil. II, p. 574 et ind. p. 794. Ampliorem vero formam in vulgari consuetudine valde usitatam fuisse, cognoscimus ex usu linguarum Romanensium, quum Italorum »latte«, Hisp. »leche« Fr. »lait« non e forma *lac* sed ex altera *lacte* originem duxisse videantur, cf. Diez. gr. I, p. 19; de accussativi forma *lactem* vid. quae p. 24 dicemus. — *Mi* vocativum plur., qui apud Petronium in c. 116 est, existimo in sermone plebejo omnino et omnium generum et utriusque numeri fuisse; is enim non modo pro voc. pl. gen. masc. »mei« (cf. Plaut. Cist. 4, 2, 8, 9) sed etiam pro voc. fem. sing. »mea« usurpatus est; cf. »mi mater« Jul. Capit. Maxim. Jun. 3 vid. Neue II, 134. —

Jam pauca verba de ablativi forma *diibus* Petr. c. 44 faciamus; sic enim Buecheleri emendatione recepta legimus, quum ea vox sententiae egregie conveniat. Neque insolita illa forma a consuetudine plebis abest, quae quum *-bus* terminatio genuinum ablativi I[ae] declinationis suffixum sit, antiquissimam declinandi rationem servavit, cf. dibus Grut. 24, 6; 46, 9; 98, 5; 618, 3; diibus ibid. 2, 9, vid. Grut. indic. — adde: amicibus Orell 4681, suibus I. N. 6417; cf. Buechel. lib. de declinat. lat. p. 65. Caveamus igitur, ne cum Roenschio (p. 262) judicemus has voces ex II[a] declinatione in III[am] transiisse. — Mirus denique declinandi modus Petroniano verbo *Apelletem* c. 64 inest, qua forma confirmare mihi videor Schuchardtii de plebeja in *-tis* declinatione sententiam, cf. Schuch. I, p. 34. Ejusdem generis sunt haec exempla: Themistocletis, Eugenetis, Eusebetis, Eutychetis, vid. Grut. indicem grammaticum. — Ac Buechelerus ed. Petron. praef. p. 10 plebis propriam in *-nis* declinationem indagavit, quum permultis inscriptionum exemplis demonstraret Petronium vitiosam vulgi consuetudinem imitatum formas *Phileronem* c. 46 et *Niceronem* c. 63 pro *Philerotem* et *Nicerotem* adhibuisse. cf. Phileronem Grut. p. 201, 3. Phileroni Murat. p. 1488, 9, Phileronis I. N. 6310, Eronis ibid. 3739, 3929, 4789 etc., vid. etiam Schuch. I, p. 34, et. Buechel. de declin. lat. pp. 35, 36.

3. *Quae voces mutato genere utantur*

Multa sunt vocabula, quibus plebs aliud genus tribuit atque urbani homines. Ac quum perspicuum sit genere mutato mutari etiam flexionis rationem, in hac dissertationis parte nonnulla verba invenies, quae forsitan putaveris in iis, quae antecedunt, fuisse tractanda. Ac primum quidem in consuetudine vulgari II^ae^ declinationis genus neutrum persaepe transit in masculinum, cujus rationis omnium temporum literae exempla plurima exhibent. Quin in hoc usu vestigia rationis, qua linguae Romanenses utuntur, videntur posita esse; nam illae Latinorum neutra II^ae^ declinationis plerumque in genus masculinum mutaverunt. Atque iterum quum Ennium ann. 474 (ed. Vahlen.) et Lucretium II, 1097 »coelus« pro »coelum« cognoscamus dixisse, confitendum est plebem etiam ea in re antiquam rationem conservasse. Poetae vero comici, quum vocabula illo modo formata usurparent, certe plebis consuetudini operam dederunt; cf. Plaut. exempla, quae G. Schmilinskyus in diss. p. 5 attulit; adde; candelabrus Caecil. 111 (ed. R.) forus Pompon. 37 (R.). Jam quo magis accedimus ad eam aetatem, qua rusticitas florescebat, eo frequentiorem intelligimus illam consuetudinem fuisse; cf. exempla inscriptionum in Gruteri in dice collecta: cubiculus 1728; fatus 661, 6 etc.; monumentus 777, 6; hunc aedificium 594, 2 etc.; deinde cf. sepulcrus Marin. 439; collegius Murat. 525, 2 etc., v. Massmanni lib. aur. p. 13. Et apud Hyginum f. 170 »clypeum quem« legimus, de qua forma Trebell. Poll vit. Div. Claud. cc. 3 et 7, »clypeus« inquit, »aureus vel, ut grammatici dicunt clypeum aureum«. Adde ejusdem scriptoris »reticulus« Galien. 16, et Fulgentii hoc exemplum: interiorem cerebrum III 9, quo loco cf. Munckium. Arnobius autem I, c. 59 formas agnoscit hasce: coelus, filus crocus, fretus, jugulus, candelabrus. Tum vero Pottius in leg. Sal. observavit haec: membrus, precius, vestigius, vid. Kuhnii act. diurn. III, p. 133. Neque possum non affere Hieronymum, qui ad Ezech. 40 de hac re: »Illud« inquit, »semel monuisse

sufficiat, nosse me »cubitum« et »cubita« neutrali appellari genere, sed pro simplicitate et felicitate intelligentiae vulgique consuetudine ponere masculino; v. Fuchsium in: »Verhandll. der Philologen 1844« p. 47. Atque Fortunatianus, qui seculo V° vixit, narrat Romanos illo tempore »hunc« theatrum, »hunc« prodigium dixisse. Itaque optime Petronius, quum plebis consuetudinem imitaretur, illius generis formas ex rusticitate recepit: cf. *balneus* c. 41, *candelabrus* 75, *coelus* 39 bis, 45, *fatus* 42, 71, 77, *fericulus* 39, *lorus* 57, *lasanus* 47 (Buechelero auctore), *reticulum, quem* 67, *vasus* 57, *vinus* 41. Ac statim afferam III^{ae} declinationis nomen, quod, quum alioquin sit neutrius generis, apud Petronium est masculini; vid. c. 71: *unum lactem*. Ritschelius quidem, qui (cf. M. Rh. VII, 606 sqq.) neque masculinum genus neque singularis numeri formam »lactem« agnoscit, »lacte« mavult pro »lactem«, quae est librorum forma. Sed cod. Florent. Apulei optimus duobus locis p. 584 et p. 585 »lactem« praebet, quae lectio vetustis glossariis firmatur. cf. eu, quae Ritschelius in opuscc. phil. II, p. 578 illi disputationi adjecit. »Lactem« denique formam Roenschius quoque (p. 267) ex Cael. Aur. Chron. 4, 3, 56 attulit. — De iis nominibus, quae ex genere neutro in femininum transierunt vid. p. 19.

Neutrali vero Petronius generis pauca tribuit vocabula, quae alioquin e genere masculino sunt. cf. *libra* p. *libros* c. 46. *nervia* p. *nervos* 45. *thesaurum* p. — *us* c. 46., quam formam etiam Paulus Fest. 8, 14, adhibet, a quo masculina saepius in neutra esse mutata Muellerus ad. p. 811 adnotat. Et Italae cod. Rehd. Luc 12, 34 »thesaurum« nominativum praebet, cf. Roensch. p. 271, qui multis Italae exemplis illum sermonis rustici usum illustravit. — accedit *sanguen* p. *sanguis* Petr. c. 59., cujus nominis prior forma jam in prisca latinitate usurpata est, cf. Cat. ap. Gell. 3, 7, 19. Lucret. I, 837. 860. etc. v. Neue I, p. 153.

De Petronii nominibus neutris *margaritum* et *quisqui-*

lium. quae in eleganti atque urbano sermone sunt generis femini cf. p. 20.

b. De conjugatione.

1. *De genere verbi.*

In lingua latina ab initio haec duo genera fuerunt, activum et medium, quorum hoc ita natum est, ut formis activis pronomen *se* suffigeretur. Iis autem notio inerat minime passiva, sed talis, quae ab activa proxime aberat; ubi vero postea genus passivum e medio profectum est, quum eaedem formae utrique generi essent, e sermone rustico, qui solam perspicuitatem appetebat, verba media evanuerunt, pro quibus verba activa usurpabantur. Cujus rationis exempla poetae comici exhibent multa: cf. abominare, amplectere, amplexare, arbitrare etc., v. Schmilinsk. p. 21—23 et Neue II, p. 196 sqq. Ex rustica autem literarum aetate Munckerus nonnulla attulit ad Hyg. f. 100, p. 188, ed. Stav., quam copiam Roenschius permultis exemplis ex Itala desumptis auxit p. 297 : cf. calumniare, confitere, depraedare etc., quibus pauca adjunge, quae in lege Salica leguntur: testare, negotiare, morire, sequere, loquere, quod etiam Petronii esse demonstrabimus. Non igitur quemquam existimo dubitare, quin in sermone plebejo rarior fuerit generis deponentis usus, id quod in nonnullis quoque Petronii verbis observavimus. cf. *amplexam*, part. pass. fragm. 5. p. 207. cf. Plauti: amplectitote Rud. 816. amplexam part. pass. Mil. gl. 507. complectere Vitruv. 10, 2, 11. — *amplexaret* c. 63 cf. Plaut. *amplexabo* Poen. 5, 4, 60. — *argutat* c. 46. *argutas* 57. — *convivare* c. 57. cf. Pompon. et Enn. Non p. 474. — *exopinissent* (conj. praes.) c. 62, quae est amplior forma verbi »exopinor«. — *exhortavit* c. 76, cf. hortat Plaut. Asin. 512. exhortatus sum, pass. Psalt. 118, 52. It. cod. Veron. — *[quia tu, qui potes] loquere, [non] loquis* c. 46, quo loco Buechelerus Schefferum secutus *loqui non loquere* scripsit. Sed

quum ratione modo exposita bene explicetur forma activa, malo cum Burmanno levissima mutatione H. libri lectionem *loquere non loquis* restituere, quae bis activam formam praebet. — *remunerabat* c. 140. cf. remunerabit August. quaest. 78. remunerat Hebr. 11, 6. It. c. Clar. remunerantur pass. Tert. Ap. 46., v. Roensch. l. c. —

Sed nonnulla Petronius verba usurpat deponentia, quae in sermone urbano activa sunt. cf. *delectaretur dominam* c. 45. *nihil nos delectaris* c. 64. *studia fastiditus* c. 48. *hic aedes non somniatur* c. 57. *satius est rideri quam derideri* c. 61. *rideatur alios* c. 57. *pudeatur illum* c. 47.

2. *De flexione.*

A genere recte eleganterque dicendi alienae sunt formae nonnullae, quas Petronius ex vulgari consuetudine recepit. Ac verbum olendi, quod in urbano sermone secundum II^am^ conjugationem flectitur, in III^am^ transiit. cf. *olunt* p. *olent* c. 50. Quam rationem Plautus quoque secutus est cf. olĕre Most. 42. olant ibid. 268. Poen. 1, 2, 56. frgm. p. 1241. tuĕris Truc. 708. contuor Asin 403, etc. v. Schmil. p. 24. exercunt Luc. 22, 25 Il. codd. Verc. Veron., extergunt. Bar. 6, 12. Vulg., lugunt Mt. 5, 5 cc. Cant. Brix. Clar. etc. v. Roensch. pp. 283, 284.

Ex I^a^ autem conjugatione in III^am^ verbum defraudandi transiit c. 69, quo loco H. codex *defraudit* praebet; Buechelerus quidem, qui dubitat num vera sit ista lectio, *defraudat* scripsit, sed non desunt alia I^ae^ conjugationis verba, quorum apud antiquissimos scriptores altera III^ae^ conj. forma extat: cf. lavare, lavere; sonare, sonere; tonare, tonere, alia, vid. Neue II 321 sqq. Accedit quod in ipsa voce »defraudendi« offendisse mihi videor; nam quum »defraudere« in cod. Paris. Apul. M. 4, 292 pro »defraudare« legatur, prior forma, etsi non est Apuleji, tamen ex librarii rustica dicendi consuetudine profecta est. Neque dubium est, quin Plauti illud participium »frausus« a verbo »fraudendi« derivandum sit. cf. Asin. 2, 2, 20: »nequam fraudem frausus siet«. Itaque Petron. c. 69. legimus „*defraudit*". —

Praeterea a sermone urbano alienae sunt haec formae: *adjuvaturos* c. 18. contulit Roenschius p. 288: adjuvavit Luc. 1, 54. It. c. Cant.; adjuvavi 2 Cor. 6, 2. codd. Amiat. Fuld.

vinciturum p. *victurum* c. 45. — *domata* p. *domita* c. 74. cf. vetatus p. vetitus act. 17, 15. It. cod. Cant. v. Roensch. p. 296.

farsi part. poss. c. 69; cf. infarsus Tert. d. pall. 4, adv. Marc. 3, 10; confersam Luc. 6, 38, It. codd. Veron. Rehd., v. Neue II, 441 et Roensch. p. 295; adde: farsos Apic. 4, 2; farsilia 5, 3; farsilis 8, 7; farsum Hyg. f. 126 quo loco inspice Munckeri adnotationem.

fefellitus sum c. 61; hanc Traguriani scripturam Heinsius pro »falsus« accepit, quocum nulla mihi esset dissensio, si aliud supinum per analogiam formatum inveniretur.

mavoluit c. 77; mavolo etc. Plautus persaepe usurpat, cf. Asin. 5, 1, 8; Curc. 2, 3, 41 etc., v. Neue II, 470.

parsero c. 58, cf. parsi Plaut. Trin. 316 parsit Bacch. 993 Capt. 32 etc. v. Schmil. p. 26.

faciatur c. 71, cf. satisfacitur Varr., et faciatur Titin. ap. Prisc. p. 789; concalefaciuntur Vitruv. 4, 6; 6, 11; v. G. I. Voss de analog. III, p. 322 et Neue II, 473, qui hunc Petronii locum omisit. — calefacimini Jac. 2, 16 It. c. Demidov. et Vulg.; calefaciamini eod. loco c. Harles., v. Roensch. p. 296.

III. De vocum formatione.

Nulla fere res est, qua magis rusticitas ab urbano genere differat, quam copia verborum, quae praecipue derivatione augetur. Atque ea in re sermo plebejus antecessit urbanitatem, quae postremo nimia vocabulorum paupertate periit, quum ille effloresceret. Summa enim verecundia, qua imbuti scriptores optimi cavebant, ne quam ex quotidiano genere vocem reciperent, ac maxime *proprietate*, quam vocant, sermonis latini factum est, »ut illi nihil generare auderent, quum multa quotidie

ab antiquis ficta morerentur«; cf. Quintil. 8, 6, 32. Ea autem vincula a consuetudine plebis aberant, quae ex omnibus partibus copiam vocabulorum derivando amplificavit, ut thesaurus rustici sermonis uberior esset, quam copia bonorum scriptorum, qui elegantia ac perspicuitate sermonis excellebant. Jam quum nobis in animo sit exponere quantam Petronius operam in exprimenda rusticitatis imagine collocaverit, nonnulla derivationis genera pertractabimus, quae in sermone plebejo sunt frequentia, et illum demonstrabimus etiam in componendis vocibus plebejae consuetudinis studiosum fuisse.

1. De nominibus deminutivis.

In sermone quotidiano jam antiquissimis temporibus nominum formam derivando amplificare solebant, atque ita, ut suffixum quidem deminutivam adjungerent, sed genuinam nominis notionem in verbo derivato retinerent.

Scriptores quidem, qui urbano dicendi generi operam dant, minime ab hac derivandi ratione abhorrent, sed tamen modice eam adhibent, atque ita, ut vocibus derivatis deminuendi notio remaneat. Jam vulgaris consuetudinis specimen Schmilinskyus ex Plauto attulit (p. 35 sqq.). Atque belli Africani scriptor ita nomina deminutiva adamat, ut jam ex hoc usu »familiaris et vulgaris sermonis proprio« concludendum sit, illum libellum a Caesare non compositum esse; cf. Nipperdei quaest. de supplementis commentariorum Julii Caesaris p. 16. Ut vero posterioris temporis scriptores, qui sermone rustico usi sunt, afferamus, Faustus, Valerius, Innocentius haec nomina derivaverunt: monticellus ter. p. 308 Grom., arcella ibid., campicellus p. 312, flumicellum p. 318; cf. Bernhardyi hist. lit. R. p. 844 adnot. 579. Ac juvabit nonnullos Italae et Vulgatae locos conferre, quibus latinae formae deminutivae eadem notione usurpatae sunt, ac simplicia graeca nomina; cf. leunculus *λέων*, Reg. 10, 20, Vulg.; auricula *οὖς* Mc. 7, 3, Ital. quatuor codd; domnuncula *οἶκος*,

Reg. 7, 8; 2 Reg. 23, 7 Vulg. geniculum γόνυ Nah. 2, 10 Vulg., etc. v. Roensch. p. 93 sqq. Postremo autem ea in re linguae Romanenses maximi momenti sunt, quarum ex usu iterum colligendum est in deliciis sermonis plebeji nomina deminutiva fuisse, quibus plerumque notio nominum genuinorum erat, cf. soliculus, taurellus, apicula, oricula: Frg. soleil, taureau, abeille, oreille, quibus vocibus minime deminutionis vis inest, v. Diez. gr. II, 263. Atque Petronius illud verborum genus non modo Trimalchioni ejusque conlibertis vindicat, sed etiam Agamemnonem et Encolpium deminutiva adamantes facit. cf.: *arietillus* 39, *capsella* 67, *cerebellum* 76, *catella* 64 bis, 71 bis, *catillum* 50, 66 bis, *cingillum* 67, *clostellum* 140, *flagellum* 56, 63, 69, *labellum* 79, *locellus* 140, *libellus* 28, *matella* 27 bis, 45, 58, *misellus* 63, 65, *machilla* 74, *mustella* 46, *maxilla* 49, *ovilla* 56, *porcellus* 40, *penicillus* 21, *pusillus* 34, *papilla* 86, *sportella* 40 bis *sacellas* 17, 140, *tigillus* 135, — *alicula* 45, *amasiunculus* 45, *aureolus* 66, *audaculus* 63, *aeneolus* 73, 74, *auricula* 67, *aedicula* 29, 85, 90, *anicula* 6, 7 bis, 131 bis, 138, *casula* 44, 46, 47, 111, *cellula* 11 bis, 136, *corneolus* 48, *folliculus* 135, *foculus* 136, *glebula* 57, *globulus* 1, *lamellula* 57, *lodicula* 20, *lectulus* 80, 97, 132, 134 etc., *mensula* 136, *manuciolum* 63, *marceolus* 51, *meliusculus* 38, *muliercula* 12, 111, *ossuculum* 65, *offula* 56, 58, *palmula* 40, *palliolum* 98, *potiuncula* 47, *pisciculus* 3, 35, *ponticulus* 31, *reticulus* 67, *servulus* 46, 139, *statunculum* 50, *sponsiuncula* 58, *savunculum* 66, *sarcinula* 10, 81, 99, *sacculus* 71, *tunicula* 12, 100, *testiculus* 35, *taurulus* 39, *virguncula* 18, 20, *vasculum* 24, *utriculus* 36, *urceolus* 74, 95.

2. De substantt. in -monium desinentibus.

Genus nominum in -monium desinentium Gellius valde vituperavit, quum vehementer in Laberii consuetudinem inveheretur, quem (16, 7) »in mimis dixit, quos scriptitavisset, oppido

quam verba finxisse praelicenter, inter quae et mendicimonium esse et moechimonium«. Praeterea autem Laberius etiam »miserimonium« usurpavit, v. 68 ed. Ribb.; cf. deinde: mercimonium Plaut. Amphitr. prol. 1, Turpil. 204 ed. R., Capit. Anton. Pii c. 23, castimonium Apul. M. 11, 793, gloss. Cyrill. et Philox., vid. Hildebr. ad Apul. M. 11, 793. Quod derivandi genus Petronius secutus est in hisce vocibus: *gaudimonium* 61; *tristimonium* 63.

3. De adjectivis in ax dess.

Quamquam adjectiva in *ax* desinentia etiam a scriptoribus optimis non aliena sunt, tamen in sermone rustico tam crebra est illa formandi ratio, ut in deliciis plebis collocanda sit. Nam poetas comicos, quorum maxime ille componendi modus proprius est, vulgare derivandi genus imitatos esse puto; cf. trahax, rapax, procax, mordax in lex. Plaut. Parei; potax gloss. excerpt. comicc. apud Ribbekk. p. 322, vagax ibid. p. 323; — linguax pall. incc. 60 ed. Ribb., vivax Afran. 251, perspicax ejusd. 59, fallax ejusd. 14, Pomp. 164, catax Lucil. Non. p. 25, 18, vatrax ibid. Atque Cato r. r. 2, 7 patrem familias vendacem non emacem esse oportere censuit. Adde: tagax Fest. p. 389, furax Lamprid. Alex. Sev. 66, cadax gloss. vet. apud Maium (VIII cl. auctt.) p. 149, olax p. 399 ibid., opinax p. 397 ibid., obstinax 403 ibid., praemordax 470 ibid. Jam Petronii sunt haec adjectiva: *abstinax* 42, *contumax* 132, *nugax* 52 bis (cf. nugacitas Sap. 4, 12 Vulg.) *salax* 43.

4. De adverbii formatione.

Scriptores urbani generis ea adverbia, quae a nominibus adjectivis I^ae^ et II^ae^ declinationis proficiscuntur, in *e* vel *o* derivare solent, sed malunt ii, qui antiquiore aetate floruerunt, maximeque poetae comici, *ter* suffixo illa adverbia componere,

unde conclusionem facere licet, hanc consuetudinem in sermone vulgari, qui antiqui est retinens, usitatam fuisse; cf. aequiter, amiciter, amoeniter, ampliter, asperiter etc., vid. lexic. Plautin. Parei, benigniter Titin. 119, duriter Caec. 42, Nov. 99, Afran. 251, festiviter Nov. 40, iracunditer Caec. 78, etc. vid. Neue II, p. 500. Atque apud Petronium haec exempla inveniuntur: *improbiter* 66, *largiter* 71, *pauciter* 103, *valgiter* fragm. X, p. 209, quae apud Neuium desidero.

5. De verbi derivatione.

Eadem ratione, qua in sermone plebejo suffixis deminutivis nominum formae amplificantur, quum notio iis genuina remaneat, saepe fit, ut pro simplici verbo amplior forma frequentativa vel inchoativa usurpetur; cf. Plaut. vv. frequentativa haec: accusitare, adjutare, amplexare, cubitare, circumvectitari, domitare, fugitare etc., v. Schmilinsk., p. 44, praeterea inspice Lorenzii adnotationem ad Mostell. 111. Atque Valesius apud Ammianum Marcellinum illum usum observavit, cf. praef. p. 52 ed. Wagner. de hac re vide etiam Fuchsium in: »Verhandll. d. Philologenversammlung zu Dresden 1844« p. 39, et Diezii gr. II, 373, 374. Ita Petronius quoque saepe verbum frequentativum adhibet, quamquam jam simplex sententiae sufficit, cf. *adjutare* c. 62, *amplexare* c. 63, *dictare* 45, *insertare* 97, *intentare* (p. intendo) 9, 70, 108, *venditare* 13, *vectari* 101, *versare* 41. Statim adjiciamus formas inchoativas: *obdormiscerem* 86, cf. edormiscere Plaut. Amph. 697, Rud. 586, perdormiscere Men. 928, condormiscere Mil. gl. 826, — *frunitus* est, c. 43, *fruniscar* c. 44, *fruniscaris* c. 75. De Plaut. ratione vid. Schmil. p. 47. Sed plurima Vitruvius exempla praebet, qui omnia fere verba in -are vel in -scere format. cf. cohaeresco 2, 3; 2 5 etc. siccesco 2, 3; 2 etc. inaresco 2, 4, 3; solidesco 2, 5, 3, siccescendo consenescunt 2, 9, 4 etc. —

Jam alius amplificationis modus verbo Petronii *exopinissandi* (c. 62) inest, quod eadem ratione a verbo exopinandi

profectum est ac Titinianum vibrissare a verbo vibrandi, cf. Fest. p. 370. — E genere verborum desiderativorum, quod omnino rarissimum apud bonos scriptores est, Petronii *canturire* c. 64 est, cf. habiturire Plaut. Truc. 1, 2, 48 scalpturire Aul. 4, 8, v. Schmil. p. 44.

Magnopere denique verborum copia in sermone plebejo eo derivandi genere augetur, quod a nomine proficiscitur; ea autem verba derivata plerumque secundum I^am^ et IV^am^ conjugationem flectuntur. Quem usum etiam Plauti fuisse proprium Schmilinskyus p. 43 demonstravit, cujus copiam facile augere possis, si indicem poetarum comicorum a Ribbekkio confectum pertractaveris. Jamque Petronius quum ipse nonnulla ejusmodi verba composuit tum permulta alia, quae a poetis comicis ac satiricis usurpata erant, adhibuit. Ac prioris generis sunt haec: *aginare* 61, *culare* 38, cf. Buechel. p. 41, *improperare* 38, cf. improperium gloss. Paris. ed. Hildebr. p. 175, improperare, infamare gloss. ed. Maii VIII, p. 295, vid. Diezii quoque gr. I, p. 18, — *lapidare* c. 93, *naufragare* c. 61, quod praeterea inveni in schol. Juvenal. ad XII, 52, p. 352 ed. Jahnii. — *incretare* c. 102, *molestare* c. 58, fragm. XI, p. 209; cf. Sirac. 11, 9 Vulg. — *percolopare* c. 44, *rubricatus* cc. 46, *expudoratus* c. 39, *prasinatus* 28, *staminatus* 41, *recutire* 68.

Ex altero autem genere haec verba sunt: *argutare* c. 46, 48, cf. Plaut. Amph. 349, — *convivare* c. 57, cf. Titin. 89, Pompon. 85, — *decollare* c. 51, cf. Caecil. 116, — *devirginare* c. 25, cf. Varr. Non. p. 458, Sirac. 20, 2, Vulg.; Hygin. ff. 23, 33, — *manducare* c. 46, 56, cf. Plaut. Mil. gl. 2, 6, 105, — *bullatus* c. 60, — *exossatus* c. 65, cf. Plaut. Pseud. 382, — *compedire* c. 39, cf. Plaut. Men. 85, – *ebullire* cc. 42, 62.

IV. De re syntactica.

1. De praedicato.

In optimo dicendi genere cum verbo substantivo adverbium praedicative, ut hac voce utar, conjungi nequit, id quod vulgaris

tantum consuetudinis proprium videtur fuisse. Ac profecto apud poetas comicos sexcenta illius rationis exempla legimus, multaque alia in epistolarum genere, quippe quod a familiari dicendi ratione proxime absit. Cf. sic sum Plaut. Amph. 2, 1, 57, aegre est mihi Capt. 1, 2, 20, sic vita erat Terent. Andr. 1, 1, 35, etc. vid. Holtzii syntax. prisc. script. lat. II, pp. 6—8. Quam consuetudinem apud Petronium cognoscimus hisce dictionibus inesse: *aeque est* 42, *belle erit* 46, *pessime mihi erat* 54, *bene fuit* 65, *suaviter fuit* 65, *suaviter sit* 59, *satius est* 61, *solebas suavius esse* 61, 64, *tam fui, quam estis* 75, *omne genus volo sint circa cineres meos et vinearum largiter* c. 75.

2. De casibus.

a) *De accusativo.* Inveniuntur apud Petronium verba, quae cum accusativo jungantur, quum in urbano sermone dativus adhibeatur. Cf. *te persuadeam* 46, *persuadeo hospitem* 62, *persuasus sum* 81, *majorem maledicas* 58, *maledicere Trimalchionem* 81, *maledic illam* 96. Eas autem structuras e vulgari consuetudine fuisse comprobatur usu auctoris belli Africani, Apuleji, qui provincialem et vulgarem sermonem nonnunquam affectat, Tertulliani, aliorum; cf. persuasi nom. pl. part. pass., auct. bell. Afr. 55, vid. Nipperd. de supplementis commentariorum Caesaris p. 16; suasa. Apul. M. 5, 330, te suadeant 5, 342, suade Hebraeam illam Judith. 12, 10, Vulg., persuadebit eos Luc. 16, 30, cod. Rehdig; — benedicere deum Tertull. d. or. 3, benedice hunc fructum, quod exemplum est e prisca ecclesiae prece desumptum, vid. Pertzii annall. hist theod. IX. Italae et Vulgatae exempla vid. ap. Roenschium p. 440. Atque Romanenses verba persuadendi, benedicendi, maledicendi cum accusativo conjungere solent. cf Diez. gr. III, p. 99, p. 103.

Sed ad aliud verborum genus transferatur oratio, quod urbani scriptores cum ablativo jungunt, quum in rusticitate accusativi usus frequentior sit: dico verba utendi, fungendi, fruendi alia, cf. munus fungaris Plaut. Trin. prol. 1, fungi fortunas Most. 1, 1, 45, malum frunisci Rud. 4, 3, 73, etc. vid. Holtze I, pp. 270—86 Ac Petronius haec exempla praebet: *meos fruniscar* 44, *peculium tuum fruniscaris* 75. — Quum vero Ganymedes dicat c. 44: „*aediles male eveniat*", accusativum Graecorum more adhibet, ex quorum dicendi genere multa in sermonem Campaniae rusticum fluxerunt, cf. Buechel. ad. c. 44, p. 48.

Sequitur, ut hoc loco mentio vocis *effluendi* fiat, quam Trimalchio transitivam usurpat c. 71. Et quum ejus constructionis exempla apud scriptores rusticae aetatis reperiantur, caveamus, ne pro errore Traguriani verba accipiamus; cf. numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam Leon. Pap. de confl. vit. et virtut. — virgulae inter caniculae ortum catervatim lacrimas fluunt Isid. origg. 17, 8. — Petra aquas fluxit Ambros. hexaem. 1, 3; vid Muncker. ad Hygin. f. 9, p. 33 et p. 575 ed. Stav.

Jam simplicem accusativum rustico more cognoscimus duobus triclinii locis positum esse, quibus sermonis urbani usus praepositionem requirit: cf. *Africam ire* c. 48. Eandem rationem Apulejus alii secuti sunt, cf. Thessaliam pervenire Apul. M. 1, 24, missus Germaniam superiorem translatus est, Spart. Hadr. 1. — Alterum vero Petronii exemplum hoc est (c. 51): *admissus Caesarem est*, cujus structurae aliud exemplum non invenitur, sed tamen non dubium est, quin illa dictio, quae praeclare Trimalchionem decet, in ceteris ejus vitiis sit collocanda.

b) *De dativo.* Quamquam adjutandi verbum accusativum poscit, tamen in sermone plebejo dativum nonnunquam illi verbo conjunctum esse Petronii structura nobis persuadet, quae inest verbis c. 62 his: *nobis adjutasses.* Ac ne quis librarii errore illud vitium exortum esse opinetur, eandem constructionem

legimus in nummo quodam (cf. Ekhel doctr. num. VIII, p. 223), cui haec est inscriptio: Deus adjuta Romanis. Et quum in Placidi gloss. p. 431 doceatur, »et adjuva me et adjuva mihi utrumque dici posse, melius tamen me«, perspicuum est, dativum repudiari tanquam rustica consuetudine adhibitum; derivato autem verbo eandem ac simplici rationem inesse oportet. Neque Romanensium usum existimo esse praetermittendum, qui dativum cum verbo adjutandi jungere solent cf. Diez gr. III, p. 98.

3. De praepositionibus.

Legenti mihi libros, qui rustica aetate compositi sunt, praepositionum usus offensam praebere visus est, quum illo tempore in casuum rectione, quam vocant, ablativus et accusativus crebro inter se confundantur. Ac permulta Salmasius, ut dictionem »ad fratre suo« Jul. Capit. Ver Imp. 9 firmaret, contulit scriptt. hist. Aug. I, pp. 430, 431, quum recte judicaret (cf. I, p. 848) »non omnia. quae in auctoribus illius aevi reperirentur, loquendi genera ad grammaticas regulas esse revocanda«. Juvabit nonnullos locos afferre: in mentem esse Plaut. Amphitr. 1, 1, 25 in fornacem coquere Cat. r. r. 39, 2 etc. cf. Gessneri thesaur. rustic. — in curiam fuerunt Grut. 214, mansi in solitudinem Mon. miss. p. 47 in fines ponere, in medium esse Faust. et Valer. Grom. p. 308, in praesidio dare Hygin. f. 52, in concilio adducere f. 100, deducere in Ida monte f. 92, quo loco alia exempla e sermone plebejo desumpta Munckerus contulit; praeterea vid. ea, quae Roenschius pp. 406, 407, 410—412 collegit; ex iis enim multa, quamquam in imagione graeca εἰς praepositio est, tamen in cum ablativo conjunctum praebent, multaque, quamquam in graecis verbis ἐν praepositio est, in c. acc. conjunctum. Sed jam ad Petronium accedamus, quem, quum post in praepositionem alium atque expectamus casum exhibeat, illam plebis rationem apparet imitatum esse, non vero, id quod Studerus m. Rh. II, p. 79 censet, Graecorum usum, cf.:

in controversiam esse c. 15. — *in publico effundere* 71.
fui in funus c. 42. — *in balneo descendere* 77.
videbo te in publicum 58. — *in balneo sequi* 26.
— *in deversorio admitti* 19.
— *in vicinia currere* 136.

Adde prae praepositionis c. acc. conjunctae haec exempla: *prae mala sua* c. 34, *prae literas* c. 46; cf. prae cetera flagitia, Apul. M. 7, 486, si quidem codicum auctoritatem sequimur; prae omnem mundum, cosmogr. vet. a Gothofr. ed. p. 19; prae omnes Galilaeos Luc. 13, 2, It. cd Cantabr., prae illum pharisaeum Luc. 18, 14, cod. Verc., prae multitudinem piscium Joa 21, 6, cc. Verc. Veron. Brix., prae participes tuos Hebr. 1, 9, c. Clar., vid Roensch. p. 412. Ac similiter aliae praepositiones, quae ablativum postulant, in plebeja consuetudine c. accusativo conjunguntur, cf. pro terminos Grom. p. 343, ora pro nos, prec. eccles. vetust.. de lapides Grom. p. 348, cum gregem suam l. Sal. tit. 38; cum quem Orell. 4659, cum conjugem Grut. 1139, 13.

4. De modis.

Vulgaris dicendi consuetudinis est, quum plebs vividum sermonem adamet, enuntiationis membra ratione paratactica, quam vocant grammatici, inter se conjungere et res conditionales, caussales, temporales alias, quae ex sententia sunt subjungendae, singulas singulis enuntiatis componere. Itaque in sententiis interrogativis, quae ab altera enuntiatione pendent, videmus non subjunctivum, sed indicativum adhiberi, quo magis interrogatio emineat. Atque Haasius (ad Reisig. p. 597 adnot. 504) et Holtzius (syntax. prisc. scr. lat. II, p. 110) frequentissimum hunc apud comicos indicativum censent sermonis plebeji usu esse explicandum, in quo »enuntiationem unam ab altera pendere facile negligatur, et quae e sola cogitatione suspensa sint, saepissime tanquam facta animo proponantur«: cf. sentio, quam rem agitis Plaut. Capt. 207; responde quid

eost argento factum Most. 620, quo loco vid. Lorenz. adnotat. — quum scio ut nunc sum ibid. 142, specta quam arte dormiunt ibid. 816; vide si*) tibi placet etc. cf. Holtze. II, pp. 110—116 et II, 236. Quem loquendi modum Petronius quoque secutus est; cf. *nemo curat, quid annona mordet* c. 39, *rogo quid putas* c. 55 (cf. Buechel. p. 63), *narra, quam controversiam declamasti* c. 48, *narra, quare non recumbit* 67, *non dixerat, quid pridie cenaveram* 76, *rogo mensis december est* 58, *rogo ebrii estis* 95, *tentemus, si adhuc sorbilia sunt* c. 33, *inscriptio vide diligenter si haec satis idonea tibi videtur* 71.

Verum etiam verbis sentiendi et dicendi paratactica ratione enuntiata adjunguntur, quae in sermone urbano structura accusativi c. inf. adhibita subjungi solent, cf. scio ego, multos lucrum homines luculentos reddidit Plaut. Capt. 2, 2, 76. Scio jocaris nunc tu Most. 5, 1, 33, spero servavit fidem Epid. 1, 2, 21; vid. Holtze. II, pp. 227—232. Ita Petronius quoque nonnulla enuntiata composuit. cf. *scito,* sociorum olla male *fervet.* c. 38; *credite:* anathymiasis *it* in cerebrum et *facit.* c. 47; *spero* ventrem pudorem sibi *imponet* 47, *spero sic moriar* 57. Aliis autem locis Petronius haec verba cum particula quod componit, cf. *subolfacio quod* 45, *dixi quod* 46, *scis quod* 71, *vides, quod* 13, quem usum scriptores Africani valde amant. cf. scitis quod sit Apul. M. 6, 425; animadverteram quod essem ibid. 4, 246; nuntiaret quod 10, 724; dicens quod Tertull. adv. Jud. 3 etc., vid. Hildebrand. ad. Apul. M. 6, 425.

In infinitivi usu opud Petronium nihil invenitur, in quo offendamus, nisi illud, quod is substantivi ratione usurpatur cf. c. 52: *meum intelligere.* Quae consuetudo a genere quotidiano non aliena videtur fuisse; cf. nostrum vivere Pers. sat. 1, 9, quo l. v. Jahnium; scire tuum ibid. 27, ridere meum ibid. 122, velle suum 3, 53. Atque in medii aevi latinitate

*) Persaepe in sermone vulgari conjunctio *si* pro particula interrogativa usurpatur, cf. antiquissimorum scriptorum usum apud Holtzium II. p. 107, Italae ac Vulgatae ap. Roenschium pp. 403, 404.

infinitivum plane substantivi locum tenuisse inde cognoscimus quod praepositiones cum illo conjunctae sunt. cf. de adfranire l. Sal., v. Diez. III, 209.

5. De pronominibus.

Magna est in Petronii libello pronominum nonnullorum frequentia, ac praesertim personalium, quam loquendi rationem plebem adamasse ex eo apparet, quod etiam in Plauti aliorumque comoediis tanta est pronominum perss. copia, ut viri docti, qui artem criticam in illis poetis exercent, si metrum voculam desiderat, pronomen aliquod inserant, quo adjecto consuetudini vulgari optime studuisse sibi videntur. Atque Petronii hos conferas locos: *ego inveni, nos habemus* — si *nos habemus* — quia *nos* non *sumus* c. 44, *ego occidi* 46, *solebam ego legere* 48, *ego vidi* 48, *ego persuadeo* 62, *ego jubeo* 91, *ego invenio* 102 etc. Neque minus ex verbositate plebis, quae quam maximam perspicuitatem appetebat, fluxisse puto illam dicendi consuetudinem, qua vim pronominis possessivi III^ae^ pers. augent pronominis personalis dativo adjecto, qui ab antecedente pronomine pendet. cf. reddam suom sibi Plaut. Trin. 156, suam sibi rem salvam sistam Poen. 5, 2, 123, sua sibi pecunia Pers 1, 3, 1, suo sibi succo vivont Capt. 1, 1, 13, vid. Brixium ad Trin. 156, et quae Holtzius I, p. 364 de conjunctione »suus sibi« disseruit; a suis sibi parentibus Apul. M. 1, 29, in suis sibi domibus 1, 41, cum sua sibi perspicua pulchritudine 4, 309 etc., cf. Hildebrandtium l. l. Ex quo genere est Petronii hoc exemplum: *autopyrum de suo sibi* c. 66.

Sed ethica, quam grammatici vocant, ratione censeo pronomen possessivum in hiscre dictionibus adjectum: *miles meus* 62, *homo meus* 62, *baro noster* 63, quae quotidiano sermoni sunt attribuendae.

6. De particulis.

a. *De particulis c njunctivis.* Pauca, ut tandem ad extremam disputationis partem perveniamus, de particulis con-

junctivis disseramus, quae in universum quidem apud Petronium sunt rarae, sed nonnullis locis particulis synonymis augentur, quum ii, qui sermone rustico utuntur, rem gravem non gravibus verbis, quae arte ac studio delecta sunt, sed verbosa oratione explicent; cf. quia enim Plaut. Capt. 4, 2, 104. Curc. 3, 72. Cas. 2, 3, 44; 2, 6, 33. Bacch. 1, 1, 16, 28. Mil. 3, 2, 21; 4, 2, 11 etc., vid. lexic. Plautin. Parei. Apulejus autem, qui rusticum sermonem affectat, etiam illi generi inserviens est, cf. ergo igitur M. 1, 27; 4, 237; 9, 636; 10, 683; 11, 764. quippe et enim de mag. 546, tum deinde Arnob. 5, 23. Scite igitur Petronius Trimalchionem hac particularum conjunctione facit argumentantem: *qaia enim* 51, *quia scilicet* 63.

b. *De particulis negativis.* Quamquam in lingua latina constat negatione duplicata affirmativam effici sententiam, tamen haud raro in vulgari consuetudine videmus alteram particulam negativam altera adjecta non tolli, sed augeri atque amplificari, id quod in sermone rustico plurimarum gentium observari licet. Atque apud poetas Romanorum comicos multa ejusmodi extant, cf. Plaut. Bacch. 4, 9, 114: neque ego haud committam. Epid. 4, 1, 6: neque ubi sit nescio etc. Bene autem Pottius (ap. Hoefer. III, p. 113 sqq.) e lege Salica haec attulit exempla: »nec super nec subtus terra plus de facultate non abit (habet) — Ut nulli alteri nec solvat nec pignus donit solutionis« Quin etiam de usu linguarum Romanensium Diezius haec adnotat (III, p. 403): »Ueblich ist es«, inquit, »im Romanischen das regierende Verb noch besonders zu verneinen: non possum reliqua nec cogitare nec scribere«. Sed afferamus Petronii locos: *neminem nihil* boni facere oportet c. 42; *nec* sursum *nec* deorsum *non* cresco c. 58, quo loco vid. Buechel. p. 68; *nemini nihil* satis est c. 76.

Sententiae controversae.

I.

Valerii Flacci libri IV vv. 128 sqq. sic legendi sunt:
Atque ideo neque ego hanc tumidis avertere ventis
Temptavi tenuive ratem, nec jam mora morti
Hinc erit ulla tuae, in regno, periture, secundo.

II.

Ejusdem l. IV vv. 174 sqq. hoc modo restituendi:
Haec ubi non ulla juvenes formidine moti
Accipiunt, Pollux dura consurgere mente,
Terga sequi properosque jubet conjungere gressus.

III.

Ejusdem l. IV vv. 210 sqq. sic scribendi:
— Sic ingens Asiae plaga, quique per arcton
Dexter et in laevum pontus jacet, haec mea visit
Hospitia, hoc nunquam remeant certamine reges

IV.

Corneliae, Gracchorum matris, epistolae, quae in fragmentis Nepotis leguntur, genuinae sunt.

V.

Thucyd. II cap. 10. paragr. 3 sic est scribenda:
Καὶ ἐπειδὴ πᾶν τό στράτευμα ξυνειλεγμένον ἦν, Ἀρχίδαμος ὁ βασιλεὺς τῶν Λακεδαιμονίων, ὅσπερ ἡγεῖτο τῆς ἐξόδου ταύτης, ξυγκαλέσας τοὺς στρατηγοὺς τῶν πόλεων πασῶν καὶ τοὺς μάλιστα ἐν τέλει καὶ ἀξιολογωτάτους παρῄει καὶ ἔλεξε τοιάδε.

tantum consuetudinis proprium videtur fuisse. Ac profecto apud poetas comicos sexcenta illius rationis exempla legimus, multaque alia in epistolarum genere, quippe quod a familiari dicendi ratione proxime absit. Cf. sic sum Plaut. Amph. 2, 1, 57, aegre est mihi Capt. 1, 2, 20, sic vita erat Terent. Andr. 1, 1, 35, etc. vid. Holtzii syntax. prisc. script. lat. II, pp. 6 — 8. Quam consuetudinem apud Petronium cognoscimus hisce dictionibus inesse: *aeque est* 42, *belle erit* 46, *pessime mihi erat* 54, *bene fuit* 65, *suaviter fuit* 65, *suaviter sit* 59, *satius est* 61, *solebas suavius esse* 61, 64, *tam fui, quam estis* 75, *omne genus volo sint circa cineres meos et vinearum largiter* c. 75.

2. De casibus.

a) *De accusativo.* Inveniuntur apud Petronium verba, quae cum accusativo jungantur, quum in urbano sermone dativus adhibeatur. Cf. *te persuadeam* 46, *persuadeo hospitem* 62, *persuasus sum* 81, *majorem maledicas* 58, *maledicere Trimalchionem* 81, *maledic illam* 96. Eas autem structuras e vulgari consuetudine fuisse comprobatur usu auctoris belli Africani, Apuleji, qui provincialem et vulgarem sermonem nonnunquam affectat, Tertulliani, aliorum; cf. persuasi nom. pl. part. pass., auct. bell. Afr. 55, vid. Nipperd. de supplementis commentariorum Caesaris p. 16; suasa. Apul. M. 5, 330, te suadeant 5, 342, suade Hebraeam illam Judith. 12, 10, Vulg., persuadebit eos Luc. 16, 30, cod. Rehdig; — benedicere deum Tertull. d. or. 3, benedice hunc fructum, quod exemplum est e prisca ecclesiae prece desumptum, vid. Pertzii annall. hist theod. IX. Italae et Vulgatae exempla vid. ap. Roenschium p 440. Atque Romanenses verba persuadendi, benedicendi, maledicendi cum accusativo conjungere solent. cf Diez gr. III, p. 99, p. 103.

Sed ad aliud verborum genus transferatur oratio. quod urbani scriptores cum ablativo jungunt, quum in rusticitate accusativi usus frequentior sit: dico verba utendi, fungendi, fruendi alia, cf. munus fungaris Plaut. Trin. prol. 1, fungi fortunas Most. 1, 1, 45, malum frunisci Rud. 4, 3, 73, etc. vid. Holtze I, pp. 270—86. Ac Petronius haec exempla praebet: *meos fruniscar* 44, *peculium tuum fruniscaris* 75. — Quum vero Ganymedes dicat c. 44: „*aediles male eveniat*". accusativum Graecorum more adhibet, ex quorum dicendi genere multa in sermonem Campaniae rusticum fluxerunt, cf. Buechel ad. c. 44, p. 48.

Sequitur, ut hoc loco mentio vocis *effluendi* fiat, quam Trimalchio transitivam usurpat c. 71. Et quum ejus constructionis exempla apud scriptores rusticae aetatis reperiantur, caveamus, ne pro errore Traguriani verba accipiamus; cf. numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam Leon. Pap. de confl. vit. et virtut. — virgulae inter caniculae ortum catervatim lacrimas fluunt Isid. origg. 17, 8. — Petra aquas fluxit Ambros. hexaem. 1, 3; vid Muncker. ad Hygin. f. 9, p. 33 et p. 575 ed. Stav.

Jam simplicem accusativum rustico more cognoscimus duobus triclinii locis positum esse, quibus sermonis urbani usus praepositionem requirit: cf. *Africam ire* c. 48. Eandem rationem Apulejus alii secuti sunt, cf. Thessaliam pervenire Apul. M. 1, 24, missus Germaniam superiorem translatus est, Spart. Hadr. 1. — Alterum vero Petronii exemplum hoc est (c. 51): *admissus Caesarem est*, cujus structurae aliud exemplum non invenitur. sed tamen non dubium est, quin illa dictio, quae praeclare Trimalchionem decet, in ceteris ejus vitiis sit collocanda.

b) *De dativo.* Quamquam adjutandi verbum accusativum poscit, tamen in sermone plebejo dativum nonnunquam illi verbo conjunctum esse Petronii structura nobis persuadet, quae inest verbis c. 62 his: *nobis adjutasses.* Ac ne quis librarii errore illud vitium exortum esse opinetur, eandem constructionem

legimus in nummo quodam (cf. Ekhel. doctr. num. VIII, p. 223), cui haec est inscriptio: Deus adjuta Romanis. Et quum in Placidi gloss. p. 431 doceatur, »et adjuva me et adjuva mihi utrumque dici posse, melius tamen me«, perspicuum est, dativum repudiari tanquam rustica consuetudine adhibitum; derivato autem verbo eandem ac simplici rationem inesse oportet. Neque Romanensium usum existimo esse praetermittendum, qui dativum cum verbo adjutandi jungere solent cf. Diez gr. III, p. 98.

3. De praepositionibus.

Legenti mihi libros, qui rustica aetate compositi sunt, praepositionum usus offensam praebere visus est, quum illo tempore in casuum rectione, quam vocant, ablativus et accusativus crebro inter se confundantur. Ac permulta Salmasius, ut dictionem »ad fratre suo« Jul. Capit. Ver Imp. 9 firmaret, contulit scriptt. hist. Aug. I, pp. 430, 431, quum recte judicaret (cf. I, p. 848) »non omnia. quae in auctoribus illius aevi reperirentur, loquendi genera ad grammaticas regulas esse revocanda«. Juvabit nonnullos locos afferre: in mentem esse Plaut. Amphitr. 1, 1, 25 in fornacem coquere Cat. r. r. 39, 2 etc. cf. Gessneri thesaur. rustic. — in curiam fuerunt Grut. 214, mansi in solitudinem Mon. miss. p. 47 in fines ponere, in medium esse Faust. et Valer. Grom. p. 308, in praesidio dare Hygin. f. 52, in concilio adducere f. 100, deducere in Ida monte f. 92, quo loco alia exempla e sermone plebejo desumpta Munckerus contulit; praeterea vid. ea, quae Roenschius pp. 406, 407, 410—412 collegit; ex iis enim multa, quamquam in imagione graeca εἰς praepositio est, tamen **in cum ablativo** conjunctum praebent, multaque, quamquam in graecis verbis ἐν praepositio est, in c. acc. conjunctum. Sed jam ad Petronium accedamus, quem, quum post in praepositionem alium atque expectamus casum exhibeat, illam plebis rationem apparet imitatum esse, non vero, id quod Studerus m. Rh. II, p 79 censet, Graecorum usum, cf.:

in controversiam esse c. 15. — *in publico effundere* 71.
fui in funus c. 42. — *in balneo descendere* 77.
videbo te in publicum 58. — *in balneo sequi* 26.
— *in deversorio admitti* 19.
— *in vicinia currere* 136.

Adde prae praepositionis c. acc. conjunctae haec exempla: *prae mala sua* c. 34, *prae literas* c. 46; cf. prae cetera flagitia, Apul. M. 7, 486, si quidem codicum auctoritatem sequimur; prae omnem mundum, cosmogr. vet. a Gothofr. ed. p. 19; prae omnes Galilaeos Luc. 13, 2, It. cd Cantabr., prae illum pharisaeum Luc. 18, 14, cod. Verc., prae multitudinem piscium Joa 21, 6, cc. Verc. Veron. Brix., prae participes tuos Hebr. 1, 9, c. Clar., vid Roensch. p. 412. Ac similiter aliae praepositiones, quae ablativum postulant, in plebeja consuetudine c. accusativo conjunguntur, cf. pro terminos Grom. p. 343, ora pro nos, prec. eccles. vetust., de lapides Grom. p. 348, cum gregem suam l. Sal. tit. 38; cum quem Orell. 4659, cum conjugem Grut. 1139, 13.

4. De modis.

Vulgaris dicendi consuetudinis est, quum plebs vividum sermonem adamet, enuntiationis membra ratione paratactica, quam vocant grammatici, inter se conjungere et res conditionales, caussales, temporales alias, quae ex sententia sunt subjungenda, singulas, singulis enuntiatis componere. Itaque in sententiis interrogativis, quae ab altera enuntiatione pendent, videmus non subjunctivum, sed indicativum adhiberi, quo magis interrogatio emineat. Atque Haasius (ad Reisig. p. 597 adnot. 504) et Holtzius (syntax. prisc. scr. lat. II, p. 110) frequentissimum hunc apud comicos indicativum censent sermonis plebeji usu esse explicandum, in quo »enuntiationem unam ab altera pendere facile negligatur, et quae e sola cogitatione suspensa sint, saepissime tanquam facta animo proponantur«; cf. sentio, quam rem agitis Plaut. Capt. 207; responde quid

eost argento factum Most. 620, quo loco vid. Lorenz. adnotat. — quum scio ut nunc sum ibid. 142, specta quam arte dormiunt ibid. 816; vide si*) tibi placet etc. cf. Holtze. II, pp. 110–116 et II, 236. Quem loquendi modum Petronius quoque secutus est; cf. *nemo curat, quid annona mordet* c. 39, *rogo quid putas* c. 55 (cf. Buechel. p. 63), *narra, quam controversiam declamasti* c. 48, *narra, quare non recumbit* 67, *non dixerat. quid pridie cenaveram* 76, *rogo mensis december est* 58, *rogo ebrii estis* 95, *tentemus, si adhuc sorbilia sunt* c. 33, *inscriptio vide diligenter si haec satis idonea tibi videtur* 71.

Verum etiam verbis sentiendi et dicendi paratactica ratione enuntiata adjunguntur, quae in sermone urbano structura accusativi c. inf. adhibita subjungi solent, cf. scio ego, multos lucrum homines luculentos reddidit Plaut. Capt. 2, 2, 76. Scio jocaris nunc tu Most. 5, 1, 33, spero servavit fidem Epid. 1, 2, 21; vid. Holtze. II, pp. 227—232 Ita Petronius quoque nonnulla enuntiata composuit. cf. *scito*, sociorum olla male *fervet.* c. 38; *credite:* anathymiasis *it* in cerebrum et *facit.* c. 47; *spero* ventrem pudorem sibi *imponet* 47, *spero sic moriar* 57. Aliis autem locis Petronius haec verba cum particula quod componit, cf. *subolfacio quod* 45, *dixi quod* 46, *scis quod* 71, *vides, quod* 13, quem usum scriptores Africani valde amant. cf. scitis quod sit Apul. M. 6, 425; animadverteram quod essem ibid. 4, 246; nuntiaret quod 10, 724; dicens quod Tertull. adv. Jud. 3 etc., vid. Hildebrand. ad. Apul. M. 6, 425.

In infinitivi usu opud Petronium nihil invenitur, in quo offeudamus, nisi illud, quod is substantivi ratione usurpatur cf. c. 52: *meum intelligere.* Quae consuetudo a genere quotidiano non aliena videtur fuisse; cf. nostrum vivere Pers. sat. 1, 9, quo l. v. Jahnium; scire tuum ibid. 27, ridere meum ibid. 122, velle suum 3, 53. Atque in medii aevi latinitate

*) Persaepe in sermone vulgari conjunctio *si* pro particula interrogativa usurpatur, cf. antiquissimorum scriptorum usum apud Holtzium II. p. 107, Italae ac Vulgatae ap. Roenschium pp. 403, 404.

infinitivum plane substantivi locum tenuisse inde cognoscimus quod praepositiones cum illo conjunctae sunt, cf. de adfranire l. Sal., v. Diez. III, 209.

5. De pronominibus.

Magna est in Petronii libello pronominum nonnullorum frequentia, ac praesertim personalium, quam loquendi rationem plebem adamasse ex eo apparet, quod etiam in Plauti aliorumque comoediis tanta est pronominum perss. copia, ut viri docti, qui artem criticam in illis poetis exercent, si metrum voculam desiderat, pronomen aliquod inserant, quo adjecto consuetudini vulgari optime studuisse sibi videntur. Atque Petronii hos conferas locos: *ego inveni, nos habemus* — si *nos habemus* — quia *nos* non *sumus* c. 44, *ego occidi* 46, *solebam ego legere* 48, *ego vidi* 48, *ego persuadeo* 62, *ego jubeo* 91, *ego invenio* 102 etc. Neque minus ex verbositate plebis, quae quam maximam perspicuitatem appetebat, fluxisse puto illam dicendi consuetudinem, qua vim pronominis possessivi III^{ae} pers. augent pronominis personalis dativo adjecto, qui ab antecedente pronomine pendet. cf. reddam suom sibi Plaut. Trin. 156, suam sibi rem salvam sistam Poen. 5, 2, 123, sua sibi pecunia Pers 1, 3, 1, suo sibi succo vivont Capt. 1, 1, 13, vid. Brixium ad Trin. 156, et quae Holtzius I, p. 364 de conjunctione »suus sibi« disseruit; a suis sibi parentibus Apul. M. 1, 29, in suis sibi domibus 1, 41, cum sua sibi perspicua pulchritudine 4, 309 etc., cf. Hildebrandtium l. l. Ex quo genere est Petronii hoc exemplum: *autopyrum de suo sibi* c. 66.

Sed ethica, quam grammatici vocant, ratione censeo pronomen possessivum in hiscre dictionibus adjectum: *miles meus* 62, *homo meus* 62, *baro noster* 63, quae quotidiano sermoni sunt attribuendae.

6. De particulis.

a. *De particulis c njunctivis.* Pauca, ut tandem ad extremam disputationis partem perveniamus, de particulis con-

junctivis disseramus, quae in universum quidem apud Petronium sunt rarae, sed nonnullis locis particulis synonymis augentur, quum ii, qui sermone rustico utuntur, rem gravem non gravibus verbis, quae arte ac studio delecta sunt, sed verbosa oratione explicent; cf. quia enim Plaut. Capt. 4, 2, 104. Curc. 3, 72. Cas. 2, 3, 44; 2, 6, 33. Bacch. 1, 1, 16, 28. Mil. 3, 2, 21; 4, 2, 11 etc., vid. lexic. Plautin. Parei. Apulejus autem, qui rusticum sermonem affectat, etiam illi generi inserviens est, cf. ergo igitur M. 1, 27; 4, 237; 9, 636; 10, 683; 11, 764. quippe et enim de mag. 546, tum deinde Arnob. 5, 23. Scite igitur Petronius Trimalchionem hac particularum conjunctione facit argumentantem: *qaia enim* 51, *quia scilicet* 63.

b. *De particulis negativis.* Quamquam in lingua latina constat negatione duplicata affirmativam effici sententiam, tamen haud raro in vulgari consuetudine videmus alteram particulam negativam altera adjecta non tolli, sed augeri atque amplificari, id quod in sermone rustico plurimarum gentium observari licet. Atque apud poetas Romanorum comicos multa ejusmodi extant, cf. Plaut. Bacch. 4, 9, 114: neque ego haud committam. Epid. 4, 1, 6: neque ubi sit nescio etc. Bene autem Pottius (ap. Hoefer. III, p. 113 sqq.) e lege Salica haec attulit exempla: »nec super nec subtus terra plus de facultate non abit (habet) — Ut nulli alteri nec solvat nec pignus donit solutionis« Quin etiam de usu linguarum Romanensium Diezius haec adnotat (III. p. 403): »Ueblich ist es«, inquit, »im Romanischen das regierende Verb noch besonders zu verneinen: non possum reliqua nec cogitare nec scribere«. Sed afferamus Petronii locos: *neminem nihil* boni facere oportet c. 42; *nec* sursum *nec* deorsum *non* cresco c. 58, quo loco vid. Buechel. p. 68; *nemini nihil* satis est c. 76.

Sententiae controversae.

I.

Valerii Flacci libri IV vv. 128 sqq. sic legendi sunt:
Atque ideo neque ego hanc tumidis avertere ventis
Temptavi tenuive ratem, nec jam mora morti
Hinc erit ulla tuae, in regno, periture, secundo.

II.

Ejusdem l. IV vv. 174 sqq. hoc modo restituendi:
Haec ubi non ulla juvenes formidine moti
Accipiunt, Pollux dura consurgere mente,
Terga sequi properosque jubet conjungere gressus.

III.

Ejusdem l. IV vv. 210 sqq. sic scribendi:
— Sic ingens Asiae plaga, quique per arcton
Dexter et in laevum pontus jacet, haec mea visit
Hospitia, hoc nunquam remeant certamine reges

IV.

Corneliae, Gracchorum matris, epistolae, quae in fragmentis Nepotis leguntur, genuinae sunt.

V.

Thucyd. II cap. 10 paragr. 3 sic est scribenda:
Καὶ ἐπειδὴ πᾶν τό στράτευμα ξυνειλεγμένον ἦν, Ἀρχίδαμος ὁ βασιλεὺς τῶν Λακεδαιμονίων, ὅσπερ ἡγεῖτο τῆς ἐξόδου ταύτης, ξυγκαλέσας τοὺς στρατηγοὺς τῶν πόλεων πασῶν καὶ τοὺς μάλιστα ἐν τέλει καὶ ἀξιολογωτάτους παρῄει καὶ ἔλεξε τοιάδε.